



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii

Zurmöllen, Heinrich

Neuhusii, 1677

Tractatvs I. De Hierarch. Ecclesiast.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9734

✠ I. ✠

TRACTATUS I.

De Hierarchia Ecclesiastica,
& Statibus, Officijs, Gradibus, Ministerijs,
ad eam pertinentibus.

TITVLVS PRIMVS.

*De Ecclesia Militantis Summo Capite
illius Potestate ac Obligatione.*

ARTICVLVS PRIMVS.

*De Ecclesia Militante, illiusque
proprietatibus.*

I.

Ecclesia Militans generaliter sumpta, est Convocatio seu Cætus fidelium, ex Divina institutione, signis sensibilibus, ordine debito Christo capiti cohærens ad vitam æternam medijs ordinatis capeffendam. Ita Marschant in Tribunali Sacramentali Tom. 3. pag. 4. Descriptio hæc complectitur universalem Ecclesiam, prout ab Adam per justū Abel & Seth descendit, usque in finem sæculorum duratura. Ex Seth enim filio Adæ ve-

B

nitur

nitur ad Enoch, ab Enoch ad Noë, ex Noë ad Abraham, ab Abraham descenditur ad David, à David ad Mariam, ex Maria de Spiritu sancto nascitur Christus. Priores ergo omnes quotquot fidem habuerunt unius Dei, quam Salvator prædicavit, jure Christiani dicendi sunt: ab initio enim Salvator venturus promissus, unde in Apoc. 13. v. 8. dicitur: *Agnus qui occisus est à constitutione mundi.* dicitur: (*Christo Capiti coherens*) omnes enim ab Adam fideles, quotquot fuerunt vel erunt, Christo vel venturo vel nato tanquam Capiti adhæserunt, & ad Christum velut membra corporis compaginandi vocati sunt.

2. Ecclesia militans sub lege gratiæ, est cætus universalis hominum baptizatorum, una fidei professione & Sacramentis sensibilibus Christo capiti adhærentium, & sub Vicarij Christi & legitimorum pastorum ordinato regimine Militantium ita Marc. Tom. 3. pag. 6.

Dicitur (*hominum Baptizatorum*) baptizatus enim est janua Ecclesiæ, & per ipsum incipit homo Christo incorporari,

ut in eo vivat. Per hanc particulam excluduntur omnes nō baptizati, ut Judæi, Gentiles, Pagani, Turcæ, & alij infideles. Per particulam (*una fidei professione*) excluduntur hæretici, qui errore pertinaci ab unitate veræ & universalis fidei se separarunt, quamvis ratione baptismi aliquo modo ad ipsam pertineant. Dicitur (*& Sacramentis sensibilibus*) istis enim tanquam symbolis distinctivis, & signis visibilibus gratiæ, Ecclesia visibilis Novi Testamenti insignita est. Dicitur (*Christo Capiti adherentium*) quia ipsum dedit Caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius: ad Ephes. I. dicitur (*Sub Vicarij Christi & legitimorum Pastorum ordinato regimine militantium*) per hanc particulam excluduntur Schismatici, qui etsi in fidei unitate videantur Ecclesiæ adhærere, quia tamen Christi Vicarium non agnoscunt, consequenter se à corpore Christi, quod est Ecclesia separant, & tunicam inconsutilem scindunt.

3. Ecclesiæ hic descriptæ proprietates fide Credendæ sunt quatuor; nimirum, quod sit una, Sancta, Catholica & Apostolica.

4. Unitas Ecclesie in tribus consistit.
 1. In unitate Capitis perpetuo in corpus totum & membra influentis. 2. In membrorum singulari connexionem & Harmonia consonante. 3. In eo quod in unum & eundem finem omnia membra conspirent. Nec præjudicat huic unitati divisio Cæremoniarum, Legum seu constitutionum, quæ apud diversas nationes usurpantur, quia in doctrina Essentiali fidei, Sacramentorum & Morum, Ecclesie quantumcunque dispersæ, divisionem non admittunt. Nulla etiam extra Ecclesie unitatem salus superest. ita: S. August. vel potius Fulgent. lib. de fide ad Petrum cap. 39. *Omni enim homini qui Ecclesia non tenet unitatem, neq; Baptismus, neq; Eleemosyna, neq; mors pro Christi nomine suscepta proficere poterit ad salutem.*

5. Sancta est: I. quia Ecclesia & Cætus fidelium sunt Deo per Baptismum consecrata, quod autem Deo dicatum est sanctum nuncupatur, Levit. 27. & Deut. 14. *Populus sanctus es Domino D E O tuo, & te elegit, ut sis ei in populum peculiarem.*

De Hierarchia Ecclesiastica. 5

rem. 2. Vocatur *sancta*, quia velut corpus & sponsa sancto Sanctorum inseparabiliter est conjuncta. 3. Vocatur *Sancta*, quia in illa sola datur remissio peccatorum, sive per Baptismum, per quem omnes fideles sanctificantur, sive per poenitentiam, per quam peccatores ad sanctitatem revertuntur. 4. Dicitur *Sancta*: à fine ad quem fideles sunt vocati, qui est facere fideles sanctos. Juxta illud ad Ephes. imo v. 4. *Ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in Charitate.*

6. *Catholica* ab hoc dicitur, quia quamvis unica sit, & in morali sua entitate indivisibilis, nilominus ex conditione sua universalis est. 1. Quia per universum Orbem successive diffusa est: Mar. *Ultimo: euntes in mundum universum predicate Evangelium omni Creatura.* 2. Universalitas ejus desumi potest ab universalitate temporum: illa enim pro ut incepit ab Adam sive Abel justo omnes ætates mundi percurrit: quæ autem est Novi Testamenti usque ad Consummationem sæculi quidem in terris conservanda est, æterni-

tati utique adscripta in coelis. 3. Dicitur *Catholica*: quia universæ naturæ humanæ sanandæ, congrua in se continet remedia Sacramentorum aliorumq; auxiliorum.

7. Nomen *Apostolica* Ecclesiæ justissime attributum est. 1. Quia supra Petro & Apostolis Ecclesia fundata est. Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam.* 2. Quia per illos initiata est prædicatio Evangelij. 3. Quia tota dispositio, dispensatio, administratio, Ecclesiæ Apostolis commendata fuit.

Articulus Secundus.

De Primatu Petri & illius Potestate ut Vicarij Christi.

1. **P**rimatus Petri, est dignitas primaria, seu primarij post Christum, & supra Christum fundamenti, à patre æterno per filium & Spiritum Sanctum Petro collata. Matth. 16. v. 18. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam.* Notandum vero quod tunc quidem Primatum per confessionem fidei obti-

obtinuerit, non tamen primatus honorem, qui sibi post Christi ascensionem reservabatur, quia tunc nec Sacerdos, nec Episcopus consecratus erat, hunc enim Ordinem in ultima Cœna suscepit, ut plenam jurisdictionem post resurrectionem acciperet.

2. Primatus S. Petri tres sunt proprietates, nimirum: singularitas, universalitas, stabilitas in concussa. Singularitas Primatus in hoc consistit, quod uni soli Petro inter Apostolos hæc dignitas sit Concessa, Matth. 16. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram, &c.* ubi verba, tibi, tu, Petrus, hanc Petram. Singularitatem tum personæ, tum primatus indicant. Primatus Universalitas patet ex eo: quod totius Ecclesiæ ædificationem in se completatur, ita ut nullus sit in Ecclesia sive Apostolus, sive Propheta, Rex & Sacerdos, plebeus & nobilis, qui in hoc fundamento non subsistat, qui autem se extra hoc fundamentum Petri agnoscit, extra Ecclesiam se esse agnoscat necesse est. Primatus stabilitas in concussa in duobus consistit.

Nimirum: in Ecclesiæ usq; ad finem mundi duratione, & doctrinæ fidei infallibilitate. Id indicant verba Christi super hanc Petram: id est super rupem, quæ quati potest, concuti non potest. Infallibilitas vero doctrinæ fidei significatur per hæc verba, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, quid portæ inferi? utique infidelitas, sive Pagana sit, sive Judaica, sive Hæretica, sive Schismatica perfidia: sicut enim porta salutis est fides; ita porta damnationis est infidelitas.

3. Potestas collata à Christo Petro ut Vicario suo est potestas spiritualis Ministerialis, suprema & universalis ad regendam in omnibus necessariis Ecclesiam Dei, ad Fidelium animarum salutem. Marsch. Tom. 3. pag. 55. Dicitur (*Spiritualis*) ad excludendam temporalem meram: sicut enim Christus, etsi esset Rex Regum, abdicavit à se omnem usum potestatis terrenæ Joan. 18. *Regnum meum non est de hoc mundo*: ita & à Vicario suo Petro. Dicitur (*ad excludendam temporalem meram*) aliqua enim temporalis potestas, Petro com-

competit in nonnulla temporalia, quatenus spirituali directioni sunt commissa. Talia sunt: Decimæ, bona Ecclesiis à fidelibus attributa, beneficiorum fructus, pensiones, præstimonia, spolia Clericorum, Xenodochiorum, Hospitalium, deposita sacra Viduarum, Egenorum, Pupillorum, pia legata &c. nolo vero hic dicere de potestate & gladio temporali, maximisque Dominijs, quibus Imperatores summos pontifices decorarunt: in his enim Petro Petri successores non succedunt, sed potius Imperatoribus & Regibus qui ea S. Petro ac Ecclesiæ consecrarunt. dicitur (*Potestas Ministerial.*) quia in virtute primi agentis Christi non tantum exercetur, sed etiam in sola virtute Christi, vim & effectum habet: ergo Ministerialis ponitur, ut excludatur, potestas Auctoritativa & primaria Dei. Dicitur (*suprema*) quia superiorem in terris non habet. Dicitur (*universalis*) à personis subjectis, à locis, à tempore, à virtute. potestas enim hæc respicit omnes fideles, ut in Ecclesia existentes, infideles, ut adducendos, omnia de-

num tempora transgreditur quia usque in finem mundi durabit.

4. Non tamen extenditur potestas Petri, ad ea quæ lex Divina naturalis, aut lex Divina positiva constituit, ut aliquid contra statuat: potest vero legem divinam cum Concilio interpretari, aut ubi est substratum aliquod humanum dispensare, non tamen tollere aut mutare.

5. Extenditur autem officium Petri sicut & potestas potissimum ad tria, nimirum: ad Ecclesiæ & animarum conservationem, directionem, protectionem. Ad Ecclesiæ conservationem: tradit Christus Petro, doctrinæ infallibilitatem, scripturam veram ab Apocripha secernendi: Articulos fidei necdum Manifestos declarandi: Controversias de fide sopiendi: Insuper quasi Regiam auctoritatem Ministros Ecclesiasticos constituendi, Concilia convocandi: demum Sacerdotij Sanctitatem: ad Sacramenta administranda, Sacerdotes ordinandos, officia & sacros ritus instituendos. Ad Ecclesiæ directionem accepit Potestatem legislatoris: officij enim ejus est leges
ferre,

ferre, Canones condere, Constitutiones & Decreta disponere. Dedit etiam ei sollicitudinem Pastoris: quâ curam animarum gerere, animas verbo Dei pascere, illas requirere & ad ovile reportare, infirmis mederi tenetur. Denique accepit charitatem Patris, qua prodigos & peccatores recipit, indulgentias distribuit. Ad Ecclesiæ autem protectionem accepit Petrus iudicis æquitatem: ut de criminibus iuste iudicet: Regiam benignitatem; quæ est parcere subjectis: Regium gladium; ad debellandos superbos, per Censuras & pœnas spirituales.

Articulus Tertius.

De successore Petri in Vicariatu Christi.

I. **P**rimatus Petri non fuit personalis, sed in successione usque ad finem mundi derivatur. Fundamentum enim durat ædificij, quamdiu durat ædificium: ut corpus visibile unum permaneat, permaneat & caput necesse est: sed fundamentum super quod Ecclesia visibilis fundata

B 6

est,

est, est Petrus, & Petri primatus, & ipse constitutus est caput Corporis Visibilis; ergo quamdiu ædificium Ecclesiæ, quamdiu Regnum Christi & cælorum (quod præsentis temporis Ecclesia, teste Gregorio, dicitur) quamdiu Corpus Visibile in terris manet, tamdiu Petrus perseverat: non perseverat autem in persona sua singulari, ergo in successoribus suis.

2. Petri itaque Successor in Vicariatu Christi est Romanus Pontifex, quia ille in Vicariatu succedit, qui in Cathedram, quam pro universali Ecclesia Petrus fundavit, tenuit, & in cujus administratione mortuus est, succedit: ergo Pontifex in Vicariatu succedit. Sed cum hæc successio historiæ & traditioni innitatur, plura de hac hic non tractabimus, inveniet tamen lector breve Chronicon in Marschano Tract 3. pag 59.

3. Romanus Pontifex sicut in officio, sic in primatu, potestate, & eminentiis, quæ Petro à Christo collata fuerunt succedit. id probat Can. 39. Concilij Nicæni. ubi sic: *Veneramur secundum scripturas & Ca-*

nonum definitionem, sanctissimum Romanæ
Ecclesiæ Episcopum, primum & maximum
omnium Episcoporum: ut autem cunctis di-
tionis suæ nationibus imperat Patriarcha &
leges indicit, & ut à principio Petrus Christi
Vicarius, Religioni, Ecclesijs, cæterisq; rebus
ad Christum pertinentibus præfectus, prin-
cipium Christianorum, Provinciarum, &
omnium gentium dominus & Rector erat:
ita ille, cujus principatus Romæ est, Petro si-
milis & auctoritate pari, Patriarcharum
omnium Dominatum & principatum obti-
net: huic sanctioni si quis repugnare & ob-
stere ausus fuerit, totius Synodi Decreto A-
nathemati subiciatur.

4. Romanus Pontifex, potestate à
Christo mediante Petro (cui succedit) si-
bi collata, potest quidquid ordinate perti-
net ad Ecclesiæ bonum & animarum salu-
tem. Dicitur (*ordinate*) nam non potest
Papa peccata mortalia remittere, aut gra-
tiam conferre positivè: nec etiam impium
in peccatis manentem justificare aut im-
pœnitentem absolvere: cætera quæ his
non obstant Papa potest.

5. Demum S. Sedes Romana sicut nec in fide, sic nec in moribus aut iustitia, sciens & volens errat, quamvis ex accidenti & indirecte aliquando contingat, in mandatis & decretis morum, declinare à vero & iusto reali. Dicitur (*ex accidenti & indirecte*) certum enim est ex recto & per se errorem in suis Decretis non passurum, fit autem, ut iustum & verum apparens, irrepat humano errore, unde fit consequenter, ut à iusto & vero Reali declinetur, certum vero est similia mandata dolo, fraude vel falsis informationibus extorqueri.

Articulus Quartus.

De potestate Pontificum in condendis legibus illarumq; obligatione.

I. **Q**uadruplex in Monarcha Ecclesia & proportione servata in Episcopis, Praepositis, & in Ecclesia legitime in Spiritu S. congregata reperitur potestas: prima est mere Divina: ut est potestas condendi leges Credendorum, sive declarandi articulos fidei, essentialia sacrificij
incru-

incruenti & Sacramentorum, quæ dependet ab assistentia infallibili Spiritus S. juxta quam in rebus fidei definiendis, summus Pontifex & Ecclesia in Spiritu S. congregata errare non potest. 2. Est potestas humano divina, quæ in homine quidem humano modo residet leges tamen divinas respicit. 3. Est potestas Canonica spiritualis. Talis est potestas Papæ in legibus ferendis circa Beneficia, pensiones dignitates. 4. Est potestas Ecclesiastica politica: quæ de nonnullis, quæ civilitatem & externam quandam disciplinam politicam concernunt, juxta diversos status in Ecclesia disponit.

2. Ecclesia in ijs quæ pertinent ad spirituale animarum regimen, potest leges condere, quæ in foro Dei & conscientia obligant ad culpam. Patet ex textu Matth. 18. v. 18. *Amen dico vobis, quæcunq; alligaveritis super terram erunt ligata & in cælo, & quæcunq; solveritis super terram, erunt soluta & in cælo*: In quibus verbis potestas leges ferendi, & de animarum regimine sub Deo disponendi, amplissima facultas

tas

tas continetur, sive ad misericordem absolutionem à peccatis, sive ad vim coactivam & vindicativam quæ significatur mystice per vincula.

3. Quando cunque materia legis vel præcepti Ecclesiastici est gravis ex conformitate ad legem divinam naturalem vel positivam: sive illa gravitas attendatur intrinsece, sive extrinsece ex aliqua circumstantia, lex censetur obligare ad peccatum mortale. Quia lex Divina est mensura cæterarum legum, sicut igitur, ubi materia gravis est, censetur obligare lex Divina ad peccatum mortale, ita ob conformitatem, juxta gravitatem materiæ, obligatio legis Ecclesiasticæ erit æstimanda.

4. Quando vero lex Ecclesiastica verbis apertis, vel æquivalentibus, vel sub pœnis, quæ non nisi pro peccato mortali imponuntur, tradita est, censetur obligare ad peccatum mortale. Talia sunt quando aperte præcipitur sub mortali culpa: sub interminatione maledictionis æternæ: per S. obedientiam: Seu in virtute Spiritu S. Item districtè præcipimus: item: sub pœna ex-

na excommunicationis latæ sententiæ. Si verò constet omnino de levitate materiæ, censetur lex Ecclesiastica vel ad solum veniale peccatum obligare, vel ad nullum, sed solum ad pœnam, si lege sit adjuncta.

5. Juxta varios respectus varie distinguuntur obligationes legis. Alia est obligatio ad culpam, quæ & reatus culpæ dicitur: alia est obligatio ad pœnam quæ reatus pœnæ nuncupatur: alia est obligatio ad culpam mortalem, in qua homo Dei inimicus constituitur, & mortem spiritualem animæ incurrit; alia est obligatio ad culpam venialem, per quam charitatis fervor in modico remittitur. Alia est obligatio ad pœnam æternam, quæ consequitur peccatum mortale: alia: ad pœnam temporalem, quæ consequitur peccatum veniale; vocatur autem temporalis, quia in tempore finitur, sive in hac vita satisfiat, sive in purgatorio: alia est obligatio ad pœnam corporalem, quæ in corpore pœnitentis exercetur: alia ad pœnam spiritualem, quæ in animæ potentijs expletur.

6. Forum seu judicium causarum aliud est

est divinum, quod à Deo, vel per se, vel per
 iudices divinâ potestate præditos exerce-
 tur: aliud forum humanum, quod per ho-
 minem potestate humana, juxta leges hu-
 manas fieri consuevit. Aliud forum est in-
 visibile, sive inscrutabile, in quo Deus se-
 cundum secreta decreta & causas suæ sa-
 pientiæ, pænas tum temporales tum æter-
 nas hominibus immittit. Aliud est forum
 Sacramentale, quod in propria conscien-
 tia exercetur: aliud denique est forum fi-
 nale universale, in quo visibiliter omnes
 nos manifestari oportet ante tribunal
 Christi, ut referat unusquisque propria
 corporis prout gessit.

Articulus Quintus.

*De potestate Pontificis in ferendis cen-
 suris & primum Excommunicatione.*

1. **P**Otestas excommunicandi est in Ec-
 clesia Dei militante, & radicaliter
 residet in Summo Pontifice: quia illi soli
 claves promissæ & datæ sunt. Deinde po-
 testatem excommunicandi vi officij ha-
 bent Episcopi, ArchiEpiscopi, Patriarchæ,
 pri-

primates in subditos: item Concilia Generalia auctoritate Papæ, & Provincialia auctoritate Archiepiscopi congregata, quibus additur Capitulum sede vacante, & Vicarius Capituli, ad formam Concilij Tridentis sess. 24. cap. 16. De reform. denique Legati Pontificis in terris suæ legationis, Generales & Provinciales Ordinum, nec non Abbates: quia hi omnes potestatem quasi Episcopalem habent. De Guardianis & Prioribus aliqui affirmare videntur, alij negant ijs potestatem excommunicandi, hi enim potestatem coactivam valde restrictam habent. Unde si excommunicent, vel ut declaratores, vel ut subdelegati excommunicant.

2. Subditus verò in quem Excommunicatio ferri potest, omnis ille censendus est, qui de Excommunicantis territorio, vel quasi territorio existit, aut Excommunicantis jurisdictioni, obedientiâ, voto, vel alio titulo subjacet. Dicitur (*vel quasi territorio*) ob Romanum pontificem cujus potestas territorio nullo continetur, sed in univèrsum orbem extenditur.

3. Non

3. Non potest ferri excommunicatio pro peccatis quantumvis gravibus, mere internis; sed requiritur quod sit peccatum externum, & quidem ex gravioribus, ita quod in gravem Ecclesiæ & Ecclesiasticæ disciplinæ jacturam cedat, habeatque aliquam contumaciam formalem vel interpretativam, sive implicitam concurrētem.

4. Excommunicatio à jure est perpetua, duratque etiam legislatore mortuo: Excommunicatio vero ab homine, tantum durat vivente iudice; eo enim mortuo expirat. Differentiam addit S. Bonaventura, in 4. dist. 18. part. 2. quæst. 3. dicens: *Quod excommunicatio à jure sit præservativa, ut nimirum ejus timore homines à peccatis caveant: Excommunicatio vero ab homine sit curativa ut excommunicatus ad mentem redeat & sanetur.*

5. Excommunicatio in foro Dei non separat à communione universalissima charitatis, ejusque spiritualibus fructibus: quia hæc communio iudicio Dei reservata est; Ille enim scit solus quis odio vel amore dignus sit, & qui secundum justitiam præsentem

sentem vel finalem sint ipsius: sed iusta & valida excommunicatio Ecclesiastica, privat hominem communicatione communium suffragiorum, missarum, sive sacrorum Ecclesie exercitiorum, ita ut non gaudeat illis excommunicatus, neque in vita, neque post mortem, donec sit legitimè absolutus: non tamen privatur precibus privatis. Insuper non privat Excommunicatio communione fidelium ex jure naturæ proveniente; sed consortio civili amicitia specialis, & Ecclesiastico & Religioso. Quod verò Excommunicatus tradatur Sathanæ, non positivè sed tantum permissivè intelligendum est: nam tali modo ista traditio est permissiva, ut simul sit restrictiva in Dæmone, ex Dei misericordii iudicio, ne animæ Excommunicati noceat.

6. præter pœnas in Definitione Excommunicationis contentas, excommunicatus alias incurrit per accidens, si se actibus sibi prohibitis ingerat. 1. Novum peccatum mortale incurrit si se divinis ingerat. 2. Sacerdos celebrans vel sacramenta ministrans irregularitatem incurrit. 3. Si

3. Si

3. Si sit notorius percussor Clerici, ab actibus externæ jurisdictionis removetur, & actus ab illo facti nulli judicantur. 4. Ecclesiastica sepultura privatur, si in excommunicatione decedat. 5. Si per annum in excommunicatione inforduerit, contra eum tanquam de heresi suspectum procedi potest. 6. Beneficio Ecclesiastico & illius proventibus privari potest. Causæ vero excusantes ab Excommunicatione : sunt injustitia, invaliditas, innocentia, impotentia, ignorantia, metus, necessitas. Si una harum intercurrat, excommunicatio non habet effectum.

7. Potissimæ autem excommunicationes à jure reservatæ sunt sequentes. 1. Excommunicationes in Bulla Cœnæ Domini reservatæ. 2. Excommunicatio contra percussores clericorum. 3. Contra Simoniacos in Beneficijs ac ordinibus sive suscipiendis sive administrandis. 4. Contra Duellistas eorumque Consultores. 5. Contra milites, ingredientiæ Monasteria Monachorum aut Monialium. 6. Contra prædicantes, ficta miracula, &

nova

nova ac falsa vaticinia, aliæ specialem statum Clericorum, Religiosorum, prælatorum concernunt: quos quilibet pro suo statu investigare debet. Notandum finaliter quod peccet qui extra casus ab Ecclesia permisos, cum Excommunicato publice denunciato communicat, & excommunicationem minorem incurrat, quæ privat hominem usu Sacramentorum.

Articulus Sextus.

De suspensione, interdicto & irregularitate.

I. **S**uspensio est Censura Ecclesiastica, propter delictum à jure vel ab homine legitimè lata, privans ad tempus Clericum usu sive exercitio officij vel beneficij. Suspenditur vero Clericus quadrupliciter, vel ab usu seu exercitio ordinis vel jurisdictionis, vel Ministerij seu officij aut denique beneficij: fertur autem dupliciter
1. In vindictam alicujus peccati, ut Clericus ab eo avertatur: 2. In contumaciam, ut aliquis ad obedientiam reducatur.

2. Sen-

2. Sententia suspensionis, ut sit valida? quatuor requiruntur. 1. Ut feratur ab habente potestatem in eum qui suspenditur, 2. Ut fiat in scriptis; suspensio enim sine scripto lata nulla est. 3. Ut fiat monitionibus prævijs. 4. Ut supervero & probato crimine aut contumacia feratur. Debet autem validè suspensus, sub peccato mortali abstinere ab ijs actibus, exercitijs, Ministerijs, operationibus, quibus per suspensionem privatus est, & pro toto tempore quo suspensus est. Absolvitur verò à suspensione dupliciter. 1. Cessatione, ut si ad certum tempus suspensus fuit, evolutio tempore, suspensio cessat, & actibus restitutus censetur. 2. Absolutione: ut quando est lata suspensio in perpetuum: tunc enim absolutione opus est; quæ obtineri debet ab eo, qui illam tulit, vel ejus superiore, vel eorum delegato.

3. Interdictum est censura Ecclesiastica, quâ ob delictum, vel in loco quædam divina celebrari, vel personæ ijs interesse, vel ea suscipere prohibentur. Dicitur (*ob delictum*) quod supponitur factum in præterito,

terito, estque ordinariè peccatum aliquod ex gravioribus: ut violatio publicæ potestatis, jurium vel immunitatis Ecclesiasticæ, inobedientia contumax, scandalosa rebellio & id genus alia. Est vero interdictum duplex, nimirum: locale, quando locus interdicitur & non personæ, ut si Capella, Cæmeterium interdicanatur, ita ut in istis nec divina celebrari, nec sacramenta administrari, nec sepultura sacra fieri possit. Deinde personale, quando personæ interdicitur. Additur & mixtū, quando & loca & personæ simul interdiciuntur. Dividitur denuo in generale: quando aliqua totalis cõmunitas interdicitur. Deinde in speciale, quando pars tantum alicujus loci aut cõmunitatis interdicitur. Demum in individuum sive singulare: quod personam aliquam vel plures disparatas in singulari tamen nominatas afficit.

4. Divina tempore interdicti prohibita ad tria capita reducuntur: nimirum ad divina officia, Sacramentorum administrationem & susceptionem, ac sepulturam Ecclesiasticam. Divina officia quibus interdicti

C

interdicti prohibentur interesse, sunt missarum celebratio, sollemnis decantatio septem horarum Canoniarum, processiones sollemnes, Laudes & Cantica publica, & id genus, quæ communi sensu, inter divina officia communia referuntur. Sacramenta quæ prohibentur, sunt Eucharistia extra rationem Viatici, extrema Unctio, Ordo, Matrimonium cum pompa. Ecclesiastica sepultura tempore interdicti prohibita, intelligitur tantum, quo ad locum sacrum interdictum, vel quo ad personas interdictas: Hinc qui aliquem sepelit in loco interdicto, absque speciali privilegio, mortaliter peccat & incurrit excommunicationem. Suspenditur vero interdictum universaliter, in Die Natalis Domini, Die Resurrectionis, Pentecostes, Assumptionis B. M. V. à primis Vesperis usque ad Completorium Dierum prædictorum, Quod & pro Festo Corporis Christi, & tota octava concessit Martinus Quintus Pontifex Maximus. Similia privilegia habent Regulares in festis Sanctorum sui Ordinis.

Irregularitas est pœna Ecclesiastica, à Summo Capite Ecclesiæ, per sententiam vel Canonem irrogata, quâ quis ab Ecclesiasticorum ordinum susceptione vel eorum usu impeditur. Triplex vero irregularitatis causa recenseri potest, nimirum ex defectu, ex indecentia, ex delicto. Defectus ob quos incurritur sunt. 1. Defectus animi: ut quia aliquis est amens, furiosus, arreptitius, seu à dæmone possessus, ignarus eorum quæ ad Ordinem requiruntur. 2. Defectus Corporis: ut quia in aliquo sensu vel membro, impediente Ordinis usum defectum patitur, ut Sacerdos sinistri oculi visu carens, & qui præcipuis digitis est mutilus. Itē qui morbo caduco laborat. Item aliqui addunt hermophroditos. 3. Defectus natalium, ut in spurijis illegitimis ex adulterio natis. Huc aliqui etiam referunt defectum libertatis: mancipium enim sine consensu Domini Ordinari non potest. 4. Defectus ætatis: si enim quis ante ætatem requisitam ad Ordines majores promoveatur, ob irregularitatem ex defectu ætatis, irregularitatem

delicti incurrit. 5. Defectus Sacramenti
Baptismi.

6. Irregularitas contrahitur ex in-
decentia. 1. Ex Bigamia, aut matrimo-
nio contracto cum vidua, cum ejecta, cum
meretrice & similibus. 2. Indecentia na-
scitur ex cooperatione reali aut morali, ad
hominis occisionem aut mutilationem, in
justitiæ publicæ administratione. Dicitur
(*ex cooperatione reali vel morali*) realem
habent Lictores, Tortores & alij justitiæ
satellites in causa mortis, moralem habet
judex, qui sententiam profert, scriba qui
dictat & scribit, & advocatus contra Reum
& Assessores, si sequatur mors. Notandum
vero quod qui indirectè & remotè tantum
videntur cooperari, irregularitatem non
contrahant. Unde frivolum quod aliqui
fingunt, Clericum præsentem, dum senten-
tia datur vel supplicium infertur, contrahe-
re irregularitatem, neque enim adest ibi
tanquam cooperans aut concurrens ad
mortem, sed ut audiens tantum vel spe-
ctans, & quamvis in fine. 3. Decretalium
statutum sit his verbis: *Sententiam sangui-*

nis nullus Clericus dicat aut proferat, aut ubi exercetur interfit. Nulla tamen irregularitatis pœna infertur, nisi ubi moraliter ad iudicium cooperatur. Sic etiam non involvitur irregularitatis pœnâ Sacerdos, qui dicit Reo ad mortem tendenti, ut gressum acceleret, scalam ascendat, qui monet Liçtorem ut expediat, ne crudeliter reus in nimia mora patiatur: quia ista non concurrunt, ne quidem remotissimè ad mortem, sed vel indifferentia sunt, vel charitatem potius, aut lenitatem suadent. Clericus etiam denuntians Reum quem scit morte mulctandum, secutâ morte non fit irregularis, maximè si protestatus est, se nolle mortem ejus vel mutilationem: quia verè non cooperatur morti. 4. Indecentia irregularitatem inducit, ratione infamiæ publicæ juris vel facti. Demum contrahitur ex delicto. 1. Ex iteratione Baptismi. 2. Ex ordine illegitimè & contra canones suscepto, vel in Excommunicatione aut suspensione ministrato. 3. Ex delicto Hæresis vel

Apostasiæ notoriæ. 4. Ex homicidio voluntario.

7. Nullus tamen Judex, Magister vel Doctor, in dubio debet aliquem judicare irregularem. Item: quando quis in foro externo, non est infamatus de actu aliquo vel defectu, cui irregularitas jure decreta est, & in foro conscientiæ & animæ dubitat de actu vel defectu, debet reputare se non esse irregularem: melior enim est conditio possidentis.

Articulus Septimus.

De potestate Pontificis in Erogandis indulgentiis.

I. **N**omen (indulgentia) quod celebre est in Ecclesia Dei desumitur ex Isai: 61. *Ad annuntiandum mansueti misit me ut mederer, contritis corde & predicarem captivis indulgentiam.* Est verò indulgentia: Remissio juridica & justa pænæ temporalis, in judicio Dei peccatis actualibus debitæ, præstitâ sufficienti ac condignâ solutione ex Ecclesiæ thesauro.

2. Da-

2. Datur in Ecclesia thesaurus univer-
saliſ meritorum Chriſti, ex quo omnis
gratia, gloria, ſanctitas, juſtitia, peccato-
rum remiſſio, procedit, & in omnes fide-
les diſtribuitur. vocatur Theſaurus ex ſi-
militudine dictionis: ſicut enim Theſau-
rus dicitur aſſervatio abundantis pecuniæ,
in beneplacitum Domini ac futuras neceſ-
ſitates: ſic merita Chriſti, in acceptatione
patris velut recondita aſſervantur. Nihil
enim ſibi primò promeruit Chriſtus, cui
ex vi unionis Hypoſtaticæ tanquam filio
omnia debebantur: Sed quidquid cogita-
vit, fecit, paſſus eſt, fecit ut nobis merere-
tur juſtificationem, medelam, mercedem,
ſatisfactionem & impetrandi Virtutem.
Et hæc in acceptatione patris æterni aſſer-
vata, in neceſſitates fidelium maximè ele-
ctorum, diſtribuuntur. Dicitur: (*peccato-
rum remiſſio*) Chriſtus enim per Sangui-
nem ſuum, non modo meritus eſt nobis
gratiam & gloriam, ſed etiam pro pænis,
peccatis noſtris debitis ſatiſfecit: non e-
nim perfectè redemptor eſſet, qui ſolâ de-
letâ culpâ, & pænâ æternâ in temporalem

commutatâ, pro panis residuis patri æterno pretium non dedisset. Ipse certè qui emisit vinctos de lacu, pretium integrum pro omni pœna & culpa solvit.

3. B. V. Maria, ab omni peccato tam originali quam actuali iñmunis, multa passa fuit, multaq; opera satisfactoria fecit, quæ sibi in virtute satisfactionis prodesse non potuerunt, cum in ea omnis satisfactionis materia deesset, & pari modo, proportione servatâ, dicendum est de Sanctis. Hæverò satisfactiones B. V. M. & omniũ Sanctorum in ipsis, in qualitate satisfactionis non remuneratæ, in alijs juxta Dei providentiam remanent remunerandæ, & in Ecclesiæ Thesauro censentur reponi. Ratio est; quia nullum opus Viatoris in charitate factum, etiã in qualitate satisfactorij, apud Deum irremuneratum manet: ergo satisfactiones B. Virg. & Sanctorum, qui satisfactione non indigent, irremuneratæ manere non possunt, subsumo. Sed in B. Virgine & Sanctis, non indigentibus in qualitate satisfactionis, non remunerantur: ergo in alio remunerari debent, & remanent

in acceptatione divina, ut in Ecclesiæ filiis remunerentur, & in eos distribuantur.

4. Non fit remissio culpæ aut pænæ absque satisfactione justitiæ; quæ ex nobis petenda non est, sed ex sanguine Christi pro nobis effusi, tam in se, quam in membris suis (*id est Sanctis*) in quibus patitur. Et quamvis omnis justificatio nostra, & redemptio, ex parte nostra sit gratuita, ex parte tamen Christi, rigerosæ justitiæ est.

5. Distributio Thesauri indulgentiarum sive satisfactionum Christi, B. Virginis & Sanctorum, data est Petro & Successoribus. Explicite enim is petræ, & fundamenti nomine honoratur: explicite contra inferni portas munitur: explicite claves regni cælorum ei promittuntur: explicite quodcunque vinculum impediens à regno cælorum ejus potestati subjicitur Matth. 16. Ratio etiam est: quia Petro per claves collata est potestas in filiis Ecclesiæ viatoribus, solvendi omne vinculum, quod retardat à regno cælorum: sed debitum pænæ cujusvis, est vinculum retardans:

ergo Petro data, est potestas absolvendi ab huiusmodi vinculo. Subsumo: sed hæc absolutio à pæna post peccatum dimissum remanente, non fit nisi per Thesaurum Ecclesiæ & indulgentias: ergo:

6. Summus Pontifex potest dare indulgentias vivis, in favorem animarum defunctorum sive ut illis per viam communicationis, sive suffragij applicentur. Ratio est: quia dare indulgentias vivis, in favorem animarum defunctorum applicandas, nil est aliud quam opera vivorum, ditare satisfactionibus Christi & sanctorum, ex Thesauro Ecclesiæ in solutionem pænarum, quas animæ in purgatorio pati debent, DEO offerenda: atqui opera vivorum Pontifex in hunc finem ex Thesauro Ecclesiæ sic ditare potest: ergo indulgentias vivis, defunctis per præfata opera communicandas, Pontifex largiri potest.

7. Ex parte vero donantis indulgentiam, ut ea sortiatur effectum, duo requiruntur primò, auctoritas quam habet solus Pontifex pro universali Ecclesia, & Episcopus

scopus tantum modificatam pro suis Diæ-
cesanis. Deinde causa: ut in necessitatibus
Ecclesiæ: in peccatorum levamen: ad ex-
citandam in populis & personis pœniten-
tiam & devotionem ad Deum, ac fidelita-
tem ad Ecclesiam donetur.

8. In eo vero qui vult lucrari indulgen-
tias? tria requiruntur primum est: ut sit in
statu gratiæ: quia largitio indulgentiarum
est actus misericordiæ Dei, qui cum in so-
las pœnas feratur supponit jam culpam re-
missam, & hominem reconciliatum: non
tamen requiritur, ut quis toto tempore sit
in statu gratiæ quo opera ad indulgentiam
requisita exercet, sed sufficit quod in com-
plemento operum sit in statu gratiæ, & du-
rante exercitio operum habeat saltem vo-
luntatem averfam à peccato. Secundum
quod requiritur est: ut faciat opera requi-
sita ab indulgentiæ largitore: quia sunt
conditio sine qua non potest indulgentia
Lucre fieri. Tertium est: ut omnes circum-
stantiæ loci, temporis, signi, pro ut à con-
cedente expressa sunt, punctualiter obser-
ventur.

9. Porro indulgentia plenaria dicitur, quando tota pœna in iudicio Dei debita remittitur. Plenior, quando potestas absolvendi à casibus reservatis & censuris superadditur. plenissima, quando dispensationes in votis & huiusmodi vinculis communicantur. Sciendum tamen quod per largitionem indulgentiarum, formaliter & per se, nunquã culpa, sive reatus culpæ, aut pœnæ æternæ remittatur; sed tantum pœna temporalis peccatis jam remissis debita. Plura de indulgentijs inveniet lector in ipso auctore Tom. 3. fol. 106.

Articulus Octavus.

De obligationibus & peccatis summorum Pontificum.

I. **O**bligaciones summorum Pontificum, ex primatu, potestate & officijs, pro rei natura & circumstantijs nascuntur: nam teste S. Gregor. Hom. 9. in Evangelia: Cum augentur dona, rationes etiam crescunt donorum, tanto ergo esse humilior atque ad serviendum Deo promptior

ptior quisque debet esse ex munere, quanto se obligatiore conspicit in reddenda ratione &c. rationem enim villicationis requirit Deus, requirit & debitum. Quid summus Villicus, quid servorum Princeps, quid totius Ecclesie Oeconomus debeat: nolo primæ Sedis, quæ à nemine judicatur judicium præsumere; sed remitto ad eam cum auctore, quæ S. Bernard. libris quinque de consideratione ad Eugenium Papam scripsit. Qualitates verò requisitæ, patent ex imagine Filij Dei, cujus subscriptio desumpta est ex Isaia 9. v. 6. & vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis, hæc quidem nomina sunt Christo propria, pontifici vero participatione ad imitationem concessa, ut designatio hæc monstrabit:

Admi-

Sublimium gultu pro periculis

(cidus

In primatus dignitate, quâ præest

Sanctitati præfulum
integritati iudicium
fidelitati operariorum

Admirabilis

In potestatis universalitate, quâ

Sacra ordinat
leges præscribit
iustitiam administrat

In universali Regimine, quod

Sollicitudo regit
labor adjuvat
Clementia confirmat

Consiliarius

Doctrinæ infallibilitate, quâ

Infideles convertit
fideles illuminat
omnes confirmat

Prudentiæ sagacitate, quâ

præteritis
præsentibus
futuris
bene consultit

Mali propulsiōne

Hereticos extirpando
pravos mores emendando
protervos puniendo

Fortis

Adversorum tolerantia factus
spectaculum

Mundo
Angelis
Hominibus

In fideles Christo acquirendo

Fide
Spe
Charitate

Pater

futuri
faculi

Fideles Christo educando

Fortes adjuvando
Oppressos sublevando
Afflictos consolando

Omnes celo inferendo

Vivorum suffragijs
Sanctorum auxilijs
Omnium communiōne

In palatijs

Litium materiã serio iudicio extinguendo
lites & quaestiones vel conciliando vel cito
resolvendo

Causidicos litium fautores proscribendo

Clerum

Religiosos à contentionibus & æmula-
plebem tionibus expurgando

Reges & principes conciliando

Controversas iudicio & auctoritate com-
ponendo

Obedienciã populi ad principes fovendo

Princeps :

pacis

In Ecclesia Catholica

In universo mundo

Hoc est speculum beatissimi Patris summi Pontificis : in hoc Filij Dei Vicarius constitutus est : ex hoc justificabitur vel condemnabitur, qui personam Christi gerit, & in ipsius Cathedra sedet, secundum quod ei conformis vel difformis apparebit.

TITVLVS SECVNDVS.

Articulus Primus.

De Concilijs generalibus.

I. **H**ic agendum esset de S. Romana Ecclesiæ Cardinalibus, hi enim Cardinales dicti, quia tota Ecclesiastica potestas, universæ Ecclesiæ dispositio, his velut cardinibus sustinetur : ex his enim concilia Apostolica constituuntur, ex his iudices causarum Pontifex sibi sumit, ad hos pertinet electio summi Pontificis, De his inquam agendum esset, sed cum in ordine cum Episcopis, si Episcopi cum presbyteris, si presbyteri cum Diaconis, si Diaconi concurrant sub eadem Doctrina, eorum

eorum officia tractanda erunt, & hic tantum de concilijs ponitur doctrina consequens.

2. Concilium quantumvis Oecumenicum & generale, est inferius Papâ. Hoc fateri debent, qui Papam Ecclesiæ caput vere fatentur, nisi monstrum sibi fingere velint, corpore supra caput prominente: cum enim Concilium Corpus Ecclesiæ repræsentet, corporis rationem non excedit, tamen sine capite mutilum erit. Nec dictis obstant appellationes à Papa ad futurum Concilium, aut quod Papa interdum permiserit Concilij suorum factorum iudicium. Præterquam enim quod illæ condemnatæ sint, non probant concilium esse supra Papam: non enim potest tale Concilium, absque consensu Papæ congregari.

3. Nunquam etiam licuit Concilio tanquam superiori, Pontificem Romanum aut ejus acta dijudicare. Hoc agnovit Sylvester I. in Generali Ecclesiæ Synodo. cap. Nemo. *Nemo (inquit) iudicabit primam sedem, justitiam temperare desiderantem:*

neq;

neq³ enim ab Augusto, neq³ ab omni Clero,
neque à Regibus, neque à populo iudex ju-
dicabitur.

4. Nullus insuper Legitimus Pontifex
Romanus, jure à Concilio Generali fuit
unquam depositus. Quod autem nonnul-
li in Schismate & alijs casibus deprehensi
sint illegitimi, & à Sede amoti, illa non fuit
depositio, sed declaratio illegitimæ intru-
sionis. Etiam si daretur Papa Hæreticus,
& ob incorrigibilem Hæresin amoveretur
à Concilio: illa proprie depositio non es-
set à Concilio procedens, sed Papa Hære-
ticus se pertinaciter manifestans, declara-
retur rescissus hoc ipso ab Ecclesia ut
mortuum caput.

TITVLVS TERTIVS.

De Statu Episcopali.

Articulus Primus.

*Quæ qualitates in Episcopo requi-
rantur.*

I. **D**ignitas Episcopalis quæ suprema
est in terris sub Summo Pontifi-

ce Petri successore, quatuor habet gradus, nimirum: Patriarchas, ArchiEpiscopos, Metropolitanos, Episcopos, qui gradus tantum extrinsece, respectu facto ad Ecclesias, & personas, quibus praesident, distinguuntur. Est vero Episcopatus Sacramentum, in quo per sensibilia signa, gratia & potestas spiritualis ex opere operato confertur, singulariter ad sacerdotes consecrandos, baptizatos confirmandos, & alia ad regimen animarum sibi subditarum perficienda. An verò Ordo Episcopalis characterem separatum à sacerdotali imprimat, & an duplex Ordo assignandus sit, ad concertationes scholasticas remittitur.

2. Septendecim vero qualitates, tum 1. ad Timot. 3. tum ad Tit. 1. referuntur, quæ omnes obligant ad mortale, nisi parvitas materiæ, aut supplementum aliquod excellentis virtutis, aut causa gravis excuset. Nō tamen omnes jure divino obligant, sed quædam ex ijs jure divino naturali, quædam jure Apostolico, quædam jure Ecclesiastico positivo: obligatio verò hæc indicatur ab Apostolo per verbum (*oportet enim*

(nim

nam) quod causalitatem & necessitatem dicit, & quod dicit necessitatem, in materia gravi ad salutem pertinente, æquivalet precepto, & ad peccatū mortale obligat. Qualitates vero ab Apostolo specificatas sequentibus examinabimus numeris.

3. Irreprehensibilem esse nihil aliud est, quam non habere vitium vel crimen alijs notum, quod sit objectum justæ reprehensionis. Hæc vero irreprehensibilitas requiritur in Episcopo, non tantum ex jure divino naturali, sive ex natura ipsius status, sed etiam quovis jure positivo. Ita exponit S. Chrysostr. in 1. ad Timoth. Homil. 10. *Eum quippe (inquit) qui regendos alios suscipit, tanta decet gloria virtutis excellere, ut instar solis cæteros veluti stellarum igniculos, in suo fulgore obscuret.* Debet habere hujusmodi vitam immaculatam, ut omnes in illum & ejus vitam veluti in exemplar excellens intueantur.

4. Unius uxoris vir apud Paulum dicitur, qui Bigamus non est. Id præclare Epiphani. Hæresi 59. *Non suscipit (inquit) S. Dei predicatio post Christi ad-*

ven-

ventum eos, qui mortua uxore secundis nuptijs conjuncti sunt, propter excellentem Sacerdotij dignitatem. Castitas vero & pudicitia, angelicam puritatem, tam animi quam corporis, contra corporis concupiscentias, voluptates venereas, & quaslibet immunditias, in Episcopis requirit. Sobrium esse & non vinolentum: omnem cibi potusque intemperantiam & excessum prohibet.

5. Tria in Episcopo ad regimen populi, ex vi status requiruntur. Nimirum: Doctrina, prudentia & doctrinae exercitium, tam in exhortando, quam in convincendo & redarguendo: non tamen tenetur ad dictionem eloquentem, sicut coram auditorum cætu fieri solet: sed sufficit, si doctrinaliter credenda, agenda, cavenda, intimare possit, & ignorantes docere, ac rebelles convincere, & si quid difficultatis, dubij, vel doctrinae periculosa occurrat, sciat resolvere, & malum sua doctrina impedire.

6. Ornatum esse dicit duō, alterum, ut intra terminos honestatis, in exteriori homi-

homine, vanitatem, levitatem, sæcularitatem, superfluitatem Episcopus fugiat: alterum ut quæ honesta sunt, ex superstitione & contemptu non relinquat.

7. Illa verba non iracundum, non percussorem, non superbum, non litigiosum, sed modestum, benignum, exponit S. Ambros. lib. de Dignit. Sacerdotali cap. 4. *Manus (dicens) improbas non habeat, & suspicionibus pravis minime percutiat conscientias aliorum, sed magis ab aliis illatas injurias patientur ferat, & mentis modestiam cunctis tranquillam ostendat.*

8. Nomine cupidi: omnis avaritia & concupiscentia oculorum, omnisque nimius temporalium bonorum amor ab Episcopo propulsatur. Nomen verò justitiam requirit in Episcopo. 1. Justitiam distributivam: qua beneficia, gradus, dignitates, in personas bene meritas distribuat. 2. Commutativam: qua in temporalibus bonis, sive acquirendis, sive possidendis, sive administrandis, & in contractibus juste se habeat. 3. Judiciale: ut in judicijs & causis quæ coram se, vel officiali suo deduci debent, æquitatem & discretionem servet.

9. Ille autem domui suæ bene præpositus dicitur, qui domesticos suos in timore Dei, mandatorum observantia, moribus bonis instruit, & talis esse debet domus Episcopi. Hæc enim est magistra publicæ disciplinæ, quid in ea agitur putant omnes sibi licere. Nomine hospitalitatis, omnis justa in pauperes ac indigentes liberalitas continetur. Quamvis speciali titulo teneatur Episcopus providere peregrinis ac pauperibus, si aliter per fundationes non sit provisum, unde suppetente substantia graviter peccat, si non provideat, ad hoc enim dotata est Ecclesia Cathedralis, ut Episcopus primo sibi, deinde Ecclesiæ & ministris, de reliquo peregrinis & pauperibus provideat.

Articulus Secundus.

De primo officio Episcopi, quod est, oves pascere.

I. **E**piscopi ex vi suæ consecrationis sunt in statu perfectionis dilectionis Dei & proximi exercendæ. Quia ex vi status & **D** con-

consecrationis tenentur ad supremos actus
dilectionis, qui sunt, se & omnem suam o-
peram & laborem denique vitam profun-
dere pro salute ovium sibi commissarum,
propter Deum & Dei amorem. Non sunt
tamen Episcopi formaliter in statu perfe-
ctionis religiosæ, quia non tenentur ad
paupertatem Evangelicam, cum possint
etiam bona temporalia possidere, & licet
obedientiam promittant S. Sedi Apostoli-
cæ: illa tantum submissionis est, intra cer-
tos terminos conclusa, non vero totalis
abnegatio propriæ voluntatis. Dicitur
*(non sunt formaliter in statu perfectionis
Religiosæ)* sunt tamen eminentur & in esse
perfecto, nam actus ad quos obligantur E-
piscopi ex vi status, continent eminenter
omnem perfectionem Religiosam in exe-
cutione. Eminentius enim est, se & sua in
pauperibus Deo impendere, quam bonis
temporalibus renuntiare.

2. Episcopus ex natura Episcopatus te-
netur sub peccato mortali providere, ut
per se, vel per idoneos ministros plebs in-
struatur in necessarijs ad salutem. Ratio

de-

desumitur ex verbis Apostoli Act. 20.
*Attendite vobis, & universo gregi in quo
vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Eccle-
siam Dei, quam acquisivistis sanguine suo. & di-
cit Dominus Ezech. 34. Ecce ego ipse super
Pastores requiram gregem meum de manu
eorum. Si itaque necessariorum scientia de-
ficiat ex negligentia pastoris in aliquo in-
dividuo, perditio ejus in pastorem redit,
& ab illo anima exigitur.*

3. Multiplicata vero Ecclesia, & locis in
Parochias distinctis, etsi Episcopi per se
non teneantur conferre Sacramenta Bapti-
smi, penitentiae, Eucharistiae, extreme Un-
ctionis, tenentur tamen tantam vigilatiam
adhibere, ut parochi & ministri, haec Sacra-
menta maxime necessaria administrent, ut
si vel negligentiam pastorum tolerent, vel
in idoneos instituant, alienis peccatis gra-
ventur. Gravissime id pōderat S. Chryost.
in acta: *Nihil: (inquit) dico praeterea: si vel
unus tantum decedat non initiatus (id est)
non baptizatus, nonne totam ipsius (id est
Episcopi) subvertit salutem.*

4. Administratio vero Sacramentorū

Confirmationis & Ordinis per se pertinet ad Episcopale officium, nam etsi confirmationis Sacramentum non sit de necessitate salutis, tenetur tamen Episcopus illud oportune ministrare ritibus & dispositionibus necessarijs, tam ex parte ministrantis, quam eorum quibus ministratur. Est vero confirmatio Sacramentum novæ legis à Christo institutum, quo homo baptizatus, chrismate in fronte in modum crucis, cum certa verborum forma à Ministro idoneo ungitur, gratiam conferens & characterem imprimens, ad fidem Christi profitendam. Et dicitur Sacramentum hoc baptizato necessarium, non necessitate absoluta salutis, sed ut quis in persecutione, & gravi tentatione persistere infide & charitate possit. Illius materia remota est Chrisma & unctio proxima. Forma vero sunt verba: signo te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: Amen.

5. Episcopus non tantum tenetur ad doctrinam necessariam, aut Sacramentorum administrationem, sed etiam ad con-

filia

filia bona, afflictorum consolationem, infirmorum levamen, orationem pro omnibus, omnium sollicitudinem: & universaliter ad omnia quæ pastor ovibus, paterfamilias filijs, dispensator domesticis, Minister in Ministerio, Architectus in ædificio, agricola in plantis spiritualiter agere debent.

6. Tenetur Episcopus ubi est assignata portio pauperibus ex bonis Ecclesiæ, aut ubi in sua Diœcesi sunt factæ fundationes aliquæ piæ, pro necessitatibus pauperum & infirmorum, triplicem circa illa curam adhibere sub mortali peccato. 1. Ut legitime administrentur & distribuantur. 2. Ut integræ conserventur. 3. Ut quæ perierunt recuperentur. Ratio est: quia ipse horum primarius dispensator, & velut paterfamilias est, & quasi in personam & officium ipsius sunt deposita. Heu quam grave jugum non tantum super ijs qui bona pauperum administrant, sed multo magis super Episcopis & Parochis qui ijs intendere debent: videmus enim bona illa paulatim deperire, parvum ex illis fructum

pauperibus provenire, & ijs administratores & eorum familias ditari. Quæ sunt peccata in cœlum clamantia sub oppressione pauperum contenta.

7. Non obstante divisione bonorum Ecclesiasticorum facta, & portione pauperibus assignata, tenentur Episcopi & Beneficiati, quod superest decenti & congruæ conservationi personæ & status, pauperibus, & fabricæ distribuere ex iustitia, & si non faciant, non tantum juxta quantitatem & qualitatem profusionis peccatum mortale committunt, sed etiam ad restitutionem tenentur. Nam omnia bona quæ Ecclesiæ oblata, sunt Deo primum oblata, & in quatuor partes divisa: ad sustentationem nimirum Episcoporum, Cleri, erectionem fabricarum, opitulationem pauperum & ad Dei peculium pertinent non obstante ista divisione, ita ut Episcopi & Beneficiati, non tam ista possideant, quam deposita habeant, non enim ex hac divisione bona ista naturam mutarunt, quin semper Dei sint, & patrimonium Christi in Ecclesiæ necessitates & pauperum, tanquam

quam in finem præcisum oblata & asser-
vata, cum igitur bona ista ad hos simplici-
ter finestam ex parte Dei & Christi cui
offeruntur, quam ex offerentium volunta-
te & Ecclesiæ decretis destinata sint, illa ali-
ter expendere, ex parte quidem offerenti-
um & Ecclesiæ acceptantis, furtum est: ex
eo vero quod Deo & Christo sint oblata,
sacrilegium est. Dixi (*mortale peccatum
committunt*) habita scil. ratione materiæ
& gravitatis rei retentæ: dixi (*ex justitia*)
vere enim quod Episcopus dissipat extra
terminos decentis status, suum non est,
sed Ecclesiæ & Christi: dixi (*tenentur ad
restitutionem*) supposita enim injustitia in
effusione eorum quæ superfluunt, necessa-
rio infertur ex natura rei restitutio faci-
enda.

Articulus Tertius.

*De secundo Officio Episcopi, quod est
oves custodire.*

1. **C**ustodia ovium Tribus exercitijs
boni Pastoris absolvitur, nimi-
rum:

rum: arcendo Lupos & fures, Lupi autem sunt, Diabolus tentans, Hæreticus graffans, Tyrannus persequens: deinde errantes oves ad caulam reducendo: demum ponendo animam pro ovibus. Ad primum quod attinet, tenetur Episcopus ad arcendum lupum diabolum providere, ne vitia præsertim publica regnent, & ne privata in corruptionem populi se ingerant, maxime peccata carnis adulteria, stupra, fornicationes, impudicitia graves, specialiter contra naturam, ut sodomia. Deinde attendendum ne justitia opprimatur, iniuri qui promoveantur, & ad usuras publicas, libertates populi, Magnatum nefanda duella. Ad arcendum vero lupum Hæreticum, vigilantia opus est & fortitudine, ad illos investigandos, conventicula dissipanda, auctores & cooperatores propulsandos, populum instruendum. Ad Lupum Tyrannum; confortatione, consolatione, consilio, pijs operibus, orationibus grex conservari magis debet, quam externo molimine. Ex hoc Episcopi officio resultant obligationes sequentes.

Prima

De Hierarchia Ecclesiastica. 53

Prima est: Quando Episcopi, vel eorum qui curam animarum habent negligentia, dissimulatione vel pusillanimitate, sive quovis debiti Ministerij defectu, aliquod vitium Hæresis, vel corrupti mores in populum irrepunt, omnia quæ in populo illo fiunt & impediri poterant, in condemnationem Episcopi vel curam animarum habentis devoluuntur. Patet ex verbis Scripturæ: ipsi enim pervigilare tenentur tanquam rationem reddituri pro animabus.

Secunda: Tenetur Episcopus ex vi officij, animas errantes omni sollicitudine rationabili requirere.

Tertia: Tenetur Episcopus incommoditates corporales subire etiamsi illis debilitetur & dies suos abbreviet, in ijs quæ ad Regimen salutare populi spectant. Id constat ex natura officij Episcopalis, Episcoporum enim est pro salute populi consummari.

Quarta: Tenetur Episcopus ubi salus plurimorum vel populi periclitatur exponere vitam, si ad salutem populi censeatur

D § **n**eces-

necessaria, non tamen pro singulis ovibus,
nec pro singulorum locorum populo.

Quinta: Quando subest periculum ja-
cturæ gravis, salutis spiritualis gregis, ex
absentia Episcopi & pastorum, nullatenus
eis licet fugere. Unde non licet Episcopo
tempore persecutionis Hæreticorum, Bel-
li, Pestis fugere, nisi de necessarijs Mini-
stris, alijsve obsequijs & auxilijs subditis sit
provisum.

Articulus Quartus.

*De tertio officio Episcopi, quod est ovibus
regere.*

Regimen Episcopi in tribus maxime
consistit nimirum, ut ovibus adsit, ut
vultum pecoris agnoscat, ut delinquentes
corrigat, unde ad sequentia obligatur.

Primo: Jure tam divino naturali quam
humano tenentur Episcopi in sua Diœce-
si aut Ecclesia residere. Ita Concil. Trid.
sess. 24. de Reform. cap. 1.

Secundo: Obligatur ut agnoscat vultum
pecoris sui, quæ agnitio potissimum in eo
verfa-

versatur, ut sciat qualiter grex sibi commissus se habeat, in fide, Doctrina sana, sacerorum cultu, Sacramentorum susceptione, & moribus Christianis. Modus vero quo id fieri potest, tribus partibus constat. 1. Visitatione pastorum: ut agnoscat qualiter se habeat quo ad propriam personam in vita Clericali, studio, conversatione, in sacramentorum usu & administratione, officijs divinis, circa domesticam familiam & populum. 2. Visitatione Ecclesiarum: qua attendere tenetur, ut Ecclesie structura, Ornatus suppellex bene examinentur, ut immunitatis Ecclesie, fundationum, mensae pauperum stricta ratio habeatur, ut æditui & alij Ministri rite suis munijs satisfaciant. 3. Visitatione Magistratus & populi: ut sciat qualiter se gerat in fide & obedientia ad S. Romanam Ecclesiam, in justitie administratione, an mores corrupti, graves inimicitie, lascivie in populo regnent.

Tertio: Obligatur ad correctionem paternam, quæ fit per monitiones, increpationes, objurgationes, & impositionem

alicuj⁹ emendæ salutaris pro futuro. Correctio vero judicialis non potest adhiberi in visitatione, ut visitatio est: quia ut adhibeatur, requiritur ut substantia juris opportune servetur, quod in visitatione fieri non potest, interdum vero potest ex visitatione iudicium formari, & consequenter iudicialis correctio sequi, maxime si reus in gravi & flagrante crimine sit deprehensus, nunquam tamen ad correctionem iudicalem procedendum, quamdiu correctioni paternæ seu fraternæ locus datur, & peccatum publicum non est.

Articulus Quintus.

De potestate Episcoporum.

I. **P**otestas Episcopalis, respectu gregis sibi commissi, talis & tanta est proportionate, qualis & quanta potestas Summi Pontificis, salva supremitate, universalitate, & independentia: quia sicut Pontifex iudex est fidei & controversiarum in universali Ecclesia, ita Episcopus inquisitor & iudex est fidei & controversiarum

in

in sua Diæcesi. In hoc solum est distinctio, quod certitudo fidei à prima sede emanet, in Episcopo autem ejus conservatio & propagatio resideat. Item sicut Papa Magistratum Ecclesiæ universalis instituit, ita Episcopus in sua Diæcesi Pastores & Ministros instituit. Item sicut Papa in universali Ecclesia clavium potestate utitur in absolutionibus peccatorum, dispensationibus à votis, ab impedimentis, à pænis, à vinculis, juxta exigentiam salutis subditorum: ita Episcopus circa suæ Diæcesis, nisi ei desuper potestas restricta fuerit. Item sicut Papa peccantes censuris cohibet, excommunicando, suspendendo, deponendo, degradando, ita & proportionate Episcopus.

2. Ab omnibus etiam casibus & censuris, quæ formaliter Papæ reservatæ non sunt, potest Episcopus absolvere, sicut & in pænis similiter non reservatis dispensare.

3. Demum in omnibus votis, vinculis & impedimentis, ex justa causa potest Episcopus dispensare, nisi similiter de eorum reservatione constet. In dubio vero, an sint

Summo Pontifici reservata, supposita iusta causa potest Episcopus absolvere & dispensare, nam in dubijs melior est conditio possidentis potest tamen in casibus, panis, votis, impedimentis, Summo Pontifici reservatis in foro conscientiae Episcopus absolvere & dispensare, quando animae salus periclitatur, nec datur moralis accessus ad S. Sedem.

TITVLVS QVARTVS.

Articulus Unicus.

De Archidiaconis & Officialibus.

I. **A**rchidiaconi officium antiquitus in sequentibus consistebat, quae recenset *Innocent. III. lib. 1. Decretal. Tit. 23. cap. 7. Archidiaconus secundum statuta B. Isidori imperat Subdiaconis & Levitis, Paraciarum sollicitudo & eorum ordinatio ad ipsum pertinet, & audire debet iurgia singulorum, omnem sollicitudinem tam in Clericis, quam in Ecclesijs eorum impendendo cum super his sit redditurus rationem in districto*

stricti examinis iudicio: Item in Epistola
Clement. Papæ: *Oculus Episcopi Archidiaconus appellatur, ut loco Episcopi per Episcopatum prospiciens, quæ corrigenda viderit corrigat, quæ omnia sunt antiqui juris: moderno tempore attendenda est consuetudo cuiusque Ecclesiæ circa dignitatem, Officium, Ministerium, & gradum Archidiaconi, in quo requiruntur qualitates sequentes: 1. Ætas 25. annorum. 2. Gradus quod scilicet in Clericali Ordine sit versatus. 3. Doctrina ad suum munus necessaria, ut nimirum sint Doctores sive Magistri S. Theologiæ, aut Licentiati in iure. 4. Ut morum integritate commendentur.*
2. Obligaciones vero Archidiaconorum mensurandæ sunt, ex Officijs ac Ministerijs quæ ijs committuntur, ut sincere & iuste illa exercent: quod maxime in visitationibus Ecclesiarum & superintendencia super vita, conversatione & Ministerijs Clericorum attendendum est. Porro S. Concilia multum urserunt, ut Archidiaconi ab omni iavaritiæ nota exempti essent, & ne munera in visitationibus acciperent,

perent,

perent, vel peccata Clericorum multa pecuniaria punirent sibi assignanda.

3. Ex dictis colliguntur peccata Archidiaconorum. 1. Ignorantia eorum quæ ad debite exequendum officium pertinent, sæpe mortalis est: sive ratione periculi, cui se & animas commissas exponit, sive ratione peccatorum ex sua ignorantia emergentium. 2. Negligentia maxime in ijs quæ visitationes, correctiones, informationes, & disciplinæ Ecclesiasticæ conservationem concernunt. 3. Si odio aut aversione unum deprimat, alium amore & favore foveat, vel ultra meritum promoveri curet. 4. Si correctionem fraternam, vel monitionem paternam prius non præmittat, sed statim eorum, maxime quibus non afficitur, peccata publica faciat. 5. Si munera, pecunias, à Parochis, Sacerdotibus aut Ecclesijs etiam voluntarie oblata accipiat. 6. Si ob peccata in multam vel dissimulationem munera vel pecuniam recipiat.

4. Officialis vulgari vocabulo dicitur qui Tribunal Episcopi subit, estque Ordina-

nari-

De Hierarchia Ecclesiastica. 61

narius Episcopi iudex idem Tribunal cum Episcopo faciens. Debet vero esse Officialis persona Ecclesiastica, juris Canonici Divini & naturalis perita, vitæ integritate Spectabilis, pacis & justitiæ tenax, ab omni munere aliena. Cum autem materia de Officialibus materiæ iudicum subordinatur plura hic de ea non tractantur, solum dicitur illud S. Bernardi: *ergo illas quas necesse erit ad te intrare causas, diligenter velim sed breviter decidere, frustraneas & venatorias dilationes præscindere assuescas, causa vidua intret ad te, causa pauperis & ejus qui non habet quod det.*

TITVLVS QVINTVS.

De Canonicis & illorum Obligatione.

Articulus Primus.

Qui dicendi sint Canonici, & illorum Obligatione.

I. **C**ANONICUS est Clericus qui Canoniam in Ecclesia collegiata vel Cathedrali actu possidet: Dicitur *qui Canoniam*

nam

niam idest Beneficium Regulatum juxta præscriptionem Canonum possidet. Canon enim regula est, & Canonici dicti sunt ex eo quod ab Episcopis Clericis in divinis officijs fervientibus certum vectigal penderetur, quod Canon dicebatur, sed quia præstationes suas ob multa incommoda non poterant accipere, quarta pars bonorum Ecclesiæ generaliter illis in communi cessit & ceperunt sub certis regulis & uno superiore in communi vivere, unde & à quadam regulari secundum Canones vitâ dicti sunt Canonici: & si apud Ecclesias Cathedrales habitabant vocabantur Canonici Cathedrales, sin minus Collegiales.

2. Obligationes vero Canonicorum tribus membris absolvi possunt, nimirum persolutione Horarum Canonicarum, & Divinorum officiorum in choro, vita Clericali, legitimo usu bonorum Ecclesiasticorum: quid vero persolutio horarum requirat sequentibus numeris docebimus.

3. Horæ Canonicæ dicuntur officia quædam divina, quæ Psalmis, Hymnis,
S. Scrip.

S. Scripturæ verbis, ac Sanctorum Doctrina, publico ritu constructa per singulorum dierum horas regulariter in septem horas distribuuntur, nimirum: Matutinum, laudes, primam, tertiam, sextam, nonam, vespervas & completorium.

4. Nullum datur præceptum divinum speciale recitandi Horas Canonicas, præter universale illud naturale divinum Orandi. Datur vero præceptum Ecclesiasticum certas personas obligans ad legendas horas canonicas prout ab Ecclesia Catholica institutæ sunt. Quod patet ex *Concil. Latera: cap. Dolentes* (ubi sic) *has igitur & similia sub pena suspensionis penitus inhibemus, districtè præcipientes in virtute obedientiæ, ut Divinum officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebretur & devote.*

5. Ad Horas simpliciter legendas abstrahendo à Choro vel privata lectione tenentur sub peccato mortali Sacerdotes, majoribus Ordinibus initiati, Beneficiati, Religiosi, & Moniales, quibus ex Regulæ suæ præcepto hoc onus impositum est. De-
mum

mum

6. Qui aliquo speciali titulo voti aut pa-
cti se ad hoc obligarunt.

6. Qui solo Ordinum titulo aut Bene-
ficiarum, quæ nullum servitium Chori si-
ve Ecclesiæ habent annexum, aut solo præ-
cepto vel voto à Choro abstrahente obli-
gantur ad Horas, censentur ad privatam
tantum lectionem obligari, nullus enim
extra terminos tituli obligari potest.

7. Datur interdum obligatio tantum
realis publice cantandi horas Canonicas,
& alia officia celebrandi in Ecclesia, Tem-
plo seu Capella, quæ personalis non est,
sed generaliter tantum obligationem in-
ducit, ut horâ tempore opportuno can-
tentur à quibuscunque id fiat. Talis obli-
gatio obligat præfectos & Rectores Ec-
clesiarum, ut dicta officia debite fieri pro-
curent.

8. Datur etiam obligatio personalis
Horas Canonicas publice persolvendi, ita
ut non sufficiat, si officium in Ecclesia so-
lemniter per quemcunque fiat, sed perso-
naliter, qui hanc obligationem subeunt, il-
lud in Choro persolvere teneantur. Ita

Con-

Concil. Trident. sess. 24. de Reform. cap. 12. ubi sic ait: omnes divina per se, & non per substitutos compellantur obire officia, atque in Choro ad psallendum instituto Hymnis & Canticis Dei nomen reverentur, distincte devoteq; laudare.

Articulus Secundus.

Quo jure teneantur Canonici ad Horas in Choro persolvendas.

I. **C**anonici tenentur ad chorum, sive ad Horas Canonicas in choro jure naturæ & virtuali justitiæ contractu, in fundatione, collatione, & acceptatione contento. Primo enim Canonicatus fundati sunt, ut ij quibus conferrentur, officium publicum in choro facerent, nec aliter conferri aut acceptari possunt, nisi sub illo onere: hoc indicat *Conc. Trid. sess. 24. de Reform. c. 12.* (ubi sic decernit.) *Obtinētibus in iisdem Cathedralibus aut Collegiatis prebendas, non liceat, vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab iisdem Ecclesijs quolibet anno abesse, alioquin pri-*

mo anno privetur quilibet dimidia parte fructuum, quos ratione etiam prae-benda ac Residentia fecit suos: quod si iterum eadem negligentia fuerit usus, privetur omnibus fructibus quos eodem anno lucratus fuerit. Hujus legis justitia non subsisteret, si ad Chorum Canonici personaliter non obligarentur.

2. In fundatione vero Canoniatuum duplex invenitur contractus: Primus exprimi potest his verbis: Beneficium fundo, ut qui illud obtinuerit in Choro officium faciat. Et vigore hujus contractus tenetur Canonicus ex justitia Choro interesse, alias injustitiam committit: Secundus est: qui terminatur ad Ecclesiam fundationem acceptantem, & exprimitur his verbis: fundationes tuæ administrationi trado, ut officium per eos, qui eas obtinebunt fieri cures: virtute hujus contractus Ecclesiae Prælati & Capitulorum capita tenentur providere, ut ipsi Canonici obtinentes officio Chori intersint.

3. Porro obligatio Canoniorum ad Chorum non est solum pænalis, sed etiam obligat

gat ad culpam in foro conscientiae, quia in contractu foundationis duo continentur: nimirum: ipsa substantia officij & decor Ecclesiae, gravis vero injuria fit Ecclesiae, si ob absentiam Beneficiatorum aut officium cesset aut notabiliter deficiat, cui non satisfacit Canonicus per pœnalem multã, illã enim solum personaliter punitur, sed Ecclesiae damnum non reparatur, & sic incurrit conscientiae culpam.

4. Legitimæ causæ excusantes Canonicum à choro & consequenter à peccato, si choro non adsit ad quatuor capita referuntur, quæ sunt: Necessitas, dispensatio, facultas, æquitas. Sub necessitate comprehenditur infirmitas, incommoditas gravis, impedimenta moralia ratione quorum sine gravi suo vel aliorum detrimento non posset Chori officio interesse. Sub dispensatione omnis dispensatio quæ à Summis Pontificibus emanat. Sub facultatibus comprehenduntur speciales licentiæ quæ ab episcopis vel præfectis Capitulorum ex comuni consensu, ex legitimis causis conceduntur. Sub æquitate continentur cau-
sa

ſæ juris & iuſtitia: ut cum aliquis non recipit fruſtus, vel cum titulus eſt litigioſus, item cum nec modo recipit, nec ſpes eſt, quod recipiet in futurum; quod additur propter eos quorum bona eccleſiaſtica ad tempus aliquod ruina tempeſtatum vel bellorum conſumpta ſunt pro uno alterove anno, illi enim omnes tenentur etiam in tali conſiſtentia, ſi detur locus tutus reſidentia, ad officium Chori, quia illæ ruinae breves accidentia communia cenſentur, nec ab officio excuſant.

Articulus Tertius.

De actibus quibus cenſeatur Canonici ſatisfacere Officio Chori.

I. **T**Res potiffimum hic actus conſiderari poſſunt. Primus eſt: aſſiſtentia ſive præſentia in choro: Secundus eſt lectio horarum ibidem: Tertius eſt cantus communis in Choro. & vocatur aſſiſtentia Religioſa, quæ eſt hominis Deo hac ſua præſentia, colentis, orantis, vel honorantis. Primus actus qui eſt materialis

aſſi

assistencia impertinens est, nec per ipsum
Canonicus obligationi Chori satisfacit:
sed ij Canonici qui tempore officij fabu-
lantur, libros legunt, egrediuntur Choro,
Ecclesiæ vel pauperibus ad restitutionem
fructuum quos inde perceperunt tenen-
tur, quia legitime non interfuerunt. Idem
dicendum est de morali seu pompatica as-
sistentia, quia nec ista ad finem propter
quem beneficium fundatum est, ali-
quid confert. Ad secundum vero actum
quod attinet: nimirum: de privata lectio-
ne horarum in choro, attendendum est
quod duplex sit lectio privata: alia est quæ
privatim à Canonico fit dum canitur divi-
num officium. Alia est lectio publica,
quando quis etsi submissiori interdum vo-
ce legat, concurrat tamen cum choro & se
illi accomodat.

2. Lectio horarum cum Choro, etiam-
si voce submissiori fiat satisfacit Obliga-
tioni Chori, modo sint alij sufficientes, qui
altiori voce officium faciant. Ratio est: quia
qui sic recitat, vere ad officium divinum
chori concurrat, per accidens autem est

E

quod

quod vocem non elevant altiori tono. Ex quo patet non teneri Canonicos ad cantum præcise, sed sufficere recitationem aliquantulum elevatam, juxta suam complexionem & dispositionem naturæ.

3. Tria jura in obligatione Canonico- rum ad horas Canonicas concurrunt: Primum est jus divinum naturale universale, quo quilibet homo tenetur Deum aliquo cultu recognoscere: Secundum est mixtum: partim naturale partim Civile, juris naturalis est obligatio ratione contractus virtualis, quo datur beneficium propter officium, ita ut obtento Beneficio, ex contractu naturali teneatur illud obtinens officio publico satisfacere, est autem hic aliquid juris Civilis admixtum, nimirum finis hujus contractus qui est spiritua- lem Ecclesiæ rempublicam adunare & in cultu Dei promovere. Tertium est jus positivum Ecclesiasticum quo nimirum modus, tempus, officia, ceremoniæ, pu- blica Ecclesiæ auctoritate determinati sunt.

Articulus Quartus.

De integritate Horarum Canoniarum.

1. **T**Riplex integritas in horis Canonice reperitur. 1. Materialis quæ constituitur Psalmis, Hymnis, Capitulis, antiphonis, Lectionibus. 2. Integritas formalis: quæ constituitur essentiali officij ritu, qui quidem ritus & forma in hoc consistunt, ut juxta tempora fiat officium De Dominica, feria, festo duplici, semiduplici, simplici. 3. Est integritas accidentalis, quæ consistit in cæremonijs quæ officio plane accidunt.

2. Integritas materialis sub peccato obligat. Quia officium componitur ex materialibus partibus, unde si partes materiales omittantur, officium divinum destruitur, hinc peccat mortaliter, qui partem notabilem omittit, pars autem notabilis censetur quælibet hora & in matutino quilibet nocturnus.

3. Integritas etiam formalis horarum Canoniarum sub peccato obligat. Quia

absque formali integritate, horæ vere Canonicae non censentur, omnemque divini officij decorem & institutionis rationem amittunt, nam qui institutionem, qualitatem, modum, & ordinem partium immutat, totum alterare censendus est. Unde legere horas de festo loco feriæ & è contra est immutare officium unius diei in plane disparatum, & censetur mutatio notabilis ac consequenter peccatum mortale, si illa mutatio fiat voluntarie.

4. Integritas vero accidentalis, nisi aliquam apparentem indecentiam causet, non censetur sub peccato obligare, aut certe non nisi sub veniali. Explico: in officio privato omittere aliquas genuflexiones pro nihilo reputatur: in Choro tamen irreligiosum situm coram populo servare scandalum generaret.

5. Officium B. Virginis; defunctorum psalmos Graduales, pœnitentiales, quæ in breviario certis temporibus præscribuntur, omittere: nullum est peccatum, ne quidem veniale si in privato officio omittantur, commendantur tamen ab Ecclesia

ut officia pietatis & utilitatis magnæ, & pro eorum lectione indulgentiæ conferuntur. Ubi vero est consuetudo quod in choro legantur, diebus præscriptis ibidem legi debent, obligatio autem hæc chorum afficit, non autem singulos de choro particulariter.

Articulus Quintus.

De significatione particule (studiose) in Horarum recitatione.

1. **P**articula (*studiose*) imponit curam aliquam in horarum lectione & prohibet perfunctoriam tantum actionem in earum recitatione. Unde omnis incuria, negligentia, perfunctorietas, quæ causam dat gravi inordinationi, aut notabilibus defectibus in officio obligatorio est peccatum mortale: quia officium divinum, pro ut ab Ecclesia præcipitur est opus Dei, & in grave onus Ecclesiæ redundans, ut contractibus & foundationibus pijs ex debito justitiæ satisfieri procuret ergo illi quibus hoc onus de mandatum est, se-

ria diligentia isti satisfacere tenentur: sub-
fumo: sed qui ex incuria, negligentia, per-
functorietate, gravem inordinationem
causat, nullatenus in re tam gravi, ne qui-
dem quo ad substantiam, oneri sibi impo-
sito & obligationibus Ecclesie ac funda-
tionum satisfacit: ergo peccat mortaliter.

2. Dices substantia præcepti quatenus
Ecclesie jurisdictioni subicitur, consistit
tantum in materiali recitatione psalmo-
rum & aliorum ex quibus officium coale-
scit, ita ut qui illa vocaliter recitat, substan-
tiæ præcepti pro ut Ecclesia imponit satis-
faciat. Resp. negando quod talis recitatio
sufficiat, nam substantia præcepti de horis
recitandis, non consistit tantum in exter-
na recitatione verborum, sed in vero actu
interno Deum colendi, pro ut actus ille
externis actibus recitationis psalmorum
forinsecus significatur: Ecclesia enim
suo præcepto intendit ut satisfiat, & obli-
gationi suæ communi colendi Deum no-
mine totius populi Christiani: & alteri
obligationi, nimirum pijs foundationibus,
& intentioni fundatorum: Sed non potest
satis-

satisfieri istis per solum actum externum (quia actus externi, si non includant internos virtutis Religionis actus, signa fallacia sunt & mortua, nec quidquam veri effectus habent) ergo suo præcepto intendit Ecclesia, ut personæ deputatæ non tantum externis sed etiam internis actibus (*à quibus externi dependent ut sint Religionis actus*) Deum colant & deprecentur. Substantiæ itaque præcepti non satisfacit, qui actu interno horas non recitat.

3. Ecclesia potest obligare ad actus internos, & de facto obligat ad actus mere internos & mixtos, quandocunq; est mera executrix legum divinarum: quia potestas executiva in præceptis, agit in vi & virtute potestatis principalis legislatoris, ergo ubi Ecclesia est legum divinarum executrix, in omnibus illis in vi & virtute potestatis divinæ operatur: Sed potestas divina ad actus internos & mixtos etiam sub mortali obligat, ergo & Ecclesia in mandatis, in quibus potestatis divinæ executrix est, ad illos obligare potest & de facto juxta rationem divini præcepti obligat.

E 4

4. Unde

4. Unde Ecclesia sub præcepto in virtute S. obedientiæ statuens, ut clerici ad divinum officium obligati, illud studiose & devote legant, est mera executrix & declaratrix legis Divinæ naturalis: ideo ad actus internos sub peccato mortali obligare potuit, & de facto obligavit: cum enim duo præcepta divina in Ecclesiæ præcepto contineantur, quorum primum est: colendi Deum actu interno externoque. Alterum satisfaciendi foundationibus pijs, eadem vi obligationis remanente, quæ est juris divini naturalis: Ecclesia edito præcepto, jus divinum exequitur & declarat, mandans ijs qui sacris Ordinibus consecrantur, ut nomine universalis Ecclesiæ, pro eis velut spondente, horas Canonicas studiose & devote legant.

Articulus Sextus.

*De Devotione in Horarum recitatione
servanda.*

I. **T**Riplex est devotio respectu horarum prima: externa & corporalis: quæ

quæ situ, gestu, & compositione corporis exhibetur. Secunda est interna & spiritualis, estq; interna cordis ad Deum affectio. Mixta devotio dicitur: interna cordis ad Deum affectio, quæ externæ etiam devotioni est conjuncta. Præceptum verò devote recitandi officium, devotionem internam simul cum externa præcipit, quæ devotio requisita tribus actibus constituitur. Nimirum: intentione, actione & attentione, intentio vocatur actus voluntatis, quo quis vult religiosa actione Deum colere. Actio est: ipsa actualis recitatio. Attentio est: actus quidam intellectus reflectentis super actione quæ fit quatenus per illam Deus colitur. Ita ut intentio sit velut causa actionis, actio verò illius effectus, attentio autem tam actionem quam intentionem concomitetur: intentio verò triplex est: Actualis, Habitualis, & Virtualis. Actualis intentio est: actus ipse à voluntate elicited estque ipsum actuale velle. Intentio habitualis est: habitus quidam in voluntate ex frequentibus actualibus intentionibus remanens, inclinans ad

horarum recitationem, qualem etiam retinet semisomnis vel dormiens. Intentio Virtualis est: quæ ex virtute actualis intentionis præhabitæ procedit, seu potius est virtus actualis intentionis in effectum influens, & causa religiosa recitationis horarum. Hæc denuo actualis & virtualis intentio duplex est: immediata scilicet & mediata: immediata dicitur: quæ pro objecto habet actionem ipsam materialiter spectatam, ut est intentio recitandi tale officium: mediata est quæ pro objecto habet ipsum finem actionis, qui est Deum colere hoc actu.

2. Ut præcepto de recitatione horarum satisfiat requiritur: primo non solum intentio actualis vel virtualis immediata actionis ipsius, sed etiam mediata finis. Quia talis requiritur intentio, qualis est actus in quem intentio tendere debet. Sed ut actus sit religiosus debet ad cultum formalem Dei ordinari, ergo intentio hunc finem includere debet. Dicitur: (*requiritur intentio actualis vel virtualis*) ubi enim actua-

actualis deest, virtualis sufficit, nullatenus verò intentio habitualis, illa enim imper- tinens est, quia nihil confert ad actum hu- manum, ut humanus est.

Secundo requiritur ad satisfaciendum præcepto de divino officio persolvendo, necessario ex parte actionis, integra & di- stincta pronuntiatio eorum quæ pro divi- no officio ab Ecclesia sunt ordinata.

3. Quicumque ad horas obligatus, trans- currendo syncopando, aut aliqua ad divi- num officium impertinentia miscendo, in re gravi actionem recitandi divini officij in sua substantia, aut diminuit, aut pertur- bat, peccat mortaliter. Ad hæc & similia evitanda necessaria est specialis attentio ad verba, ad sensum verborum, & ad finem orationis intrinsecum, quæ attentio du- plex est: alia essentialis: quæ nihil aliud est quam reflectio mentis, qua primo adver- to me legere divinum officium juxta insti- tutionem Ecclesiæ. Secundo: qua adver- to me colere & orare Deum isto actu præ- senti, ita ut in hac reflectione duo sint re- spectus alter ad actionem in substantia sua

materiali, alter ad finem actionis illius. Alia est attentio perfectionalis: qua attenditur ad sensum, mysterium vel affectum, qui in verbis horarum comprehenditur, & hæc attentio non est de necessitate præcepti. Sed sufficit moralis & generalis attentio, qua scio me verba & verborum sententias proferre, etsi singulariter super singulis verbis non reflectam.

Tertio: ad horas Canonicas legitime persolvendas sufficit attentio essentialis. Quæ est attentio ad totam actionem. Quia sine hac horæ Canonicæ non sunt vera oratio: Sed simulatio potius & fictio personæ, quæ per modum orantis se habet. Ipsaque recitatio absque hac attentione facta, est materialis tantum & inutilis verborum sonus.

Quarto: qui voluntarie distrahitur in recitatione horarum, ita ut nec ad recitationem ipsam, nec ad finem intrinsecum, qui est: ista recitatione Deum colere attendat, si materia sit gravis peccat mortaliter, nec censetur satisfacere. Patet ex sententia S. Chrysostr. hom. 29. ad populum An-

De Hierarchia Ecclesiastica. 81

riochenum (ubi sic) qua enim excusatio aut
venia dabitur nobis, si cum amico loquentes
adsumus animo, cum Deo vero colloquentes
animo in rebus indignis peregrinamur, pos-
setq; tam feda ac turpis esse peregrinatio illa
mentis, ut duplicis lethalis culpa labem habe-
ret, unam v. g. cogitati optatiq; stupri vel ho-
miciidij, alteram insignis injuria qua divina
preces, Psalmi sacraeq; scripturae verba tunc
officiuntur.

4. Qui non potest certo affirmare se
voluntarie, & cum plena advertentia fuisse
distractum in officio vel in notabili ejus
parte, non tenetur ullatenus repetere: quia
in dubijs melior est cōditio possidentis. Ex
his colligitur quam male faciant confessa-
rij, qui suis pœnitentibus, vel permittunt,
vel suadent diversas repetitiones, cum non
tantum scrupulosi à similibus repetitioni-
bus sint impediendi, sed etiã quando gra-
vem afflictionem aut turbationem cere-
bri, dolores capitis insomnia circa lectio-
nem horarum similes patiuntur, cum ijs in
lectione horarum sit dispensandum.

E 7

Titus

TITVLVS SEXTVS.

De Parochis & illorum obligatione.

Articulus Primus.

Quid sit Parochus, quæve ejus obligationes.

I. **C**uratus dicitur, qui beneficium cui cura animarum annexa est possidet; illius vero institutio stricte non est juris divini, quamvis officium Parochi non administratur, nisi per potestatem à jure divino originem trahentem, sed jure humano fuerunt ad Hierarchiam Ecclesiae assumptis, potestate divini juris, in ipsos ab Episcopis ad mensuram regiminis influente. Et patet illorum institutio ex *Dyonisio 1. Epist. ad Severum Episcop. apud Gratian. 13 q. 1. Ecclesias singulas (inquit) singulis Presbyteris dedimus, Parochias & Cemiteria eis divisimus, unicuique jus proprium habere statuimus; ita videlicet, ut nullus alterius Parochia terminos aut jus invadat, sed unusquisque suis terminis contentus sit, & taliter Ecclesi-*

*eleſiam ſibi commiſſam cuſtodiat ut ante tri-
bunal eterni iudicis ex omnibus ſibi commiſ-
ſiſ rationem reddat, & non iudicium, ſed glo-
riam pro ſuis actibus percipiat. Qualitates
vero in Parocho requiſitæ ſunt ſequentes:
ætas 25. annorum, ſacerdotium vel actu
ſuſceptum, vel intra annum à die ad optæ
poſſeſſionis Beneficij ſuſcipiendum: Do-
ctrina ſuo miniſterio proportionata: Vita
integra & exemplaris.*

*Officia vero & obligationes Parochi
ſequentibus fere terminis comprehendun-
tur: inſtructione populi: prædicatione
Verbi Dei: adminiſtratione Sacramento-
rum, celebratione Miſſarum & divinorum
officiorum: cura ſingulari pauperum: reſi-
dentia,*

*2. Parochi tenentur, de omnibus ne-
ceſſarijs ad ſalutem, ita populum ſuum per
ſe vel per alios inſtruere, ut ſi defectu ſci-
entiæ aut negligentia paſtoris anima per-
eat, de manu Parochi illam requirat Deus.
Sunt autem duplicia de quibus Parochi te-
nentur ſub mortali informare plebem ſibi
commiſſam: alia ſunt univerſalia: ut Arti-
culi*

culi fidei, præcepta Decalogi, usus dignus Sacramentorum, modus Deum colendi & orandi, peccata capitalia, opera misericordiæ, quæ non tantum debent proponi, ut ex memoria discantur, sed ut juxta cujuslibet capacitatem intelligantur, ac eis in bene vivendo anima informetur, possitq; distinguere inter bonum & malum, alia sunt specialia uniuscujusque status: ut nuptis Matrimonij obligationes, innuptis Castimoniam, filijs obedientiam ad parentes, parentibus debitam curam prolium, obligationes servorum ad Dominos & Dominorum ad servos &c. non tamen tenetur habere Conciones oratorias juxta eloquentiæ modos, sed sufficit & utilius est, simpliciter, & sine phalerata eloquentia annuntiare quæ sunt ad salutem necessaria.

Articulus Secundus.

Ad quid teneatur Parochus in Sacramentorum Administratione.

- I. **N**on tractatur hic de Ministerio Sacramenti penitentiae, Matrimonij,

monij, Extremæ unctionis, de illis enim suis locis fiet mentio, sed solum de administratione Baptismi, ad cuius legitimam administrationem in parocho requiritur. Ut norit & vigilanter adhibeat ea quæ sacramento sunt essentialia, nimirum: aquam naturalem, sive sit sacri fontis Baptismatis aut alias Benedicta, sive in casu importuno non Benedicta. Et formam: ego te Baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus S. Amen. Et etiam ut intentionem actualem vel virtualem habeat conferendi Baptismum.

2. Aqua naturalis seu Elementaris est materia sufficiens & necessaria ad Baptismum: sicut & aqua alterata sive mixta, quamdiu non pervenit ad tantam mixtionem & alterationem ut naturam aquæ mutet. Unde excluditur omnis alia aqua quæ elementaris non est: ut Rosacea aut ex quolibet corpore arte extracta: hinc paratâ materiâ certâ, dubiam adhibere, sacrilegium est.

3. Applicatio vero Materiæ sive aquæ, quæ est materia proxima, debet fieri per
im-

immersionem, aspersionem, vel infusionem, ita ut fluere intelligatur & fluide aliquam partem corporis attingere: hoc indicat verbum Baptizo quod saltem ordinem ad aliquam intinctionem vel ablu-tionem dicit. Hinc ubi probabilis tantum aspersione facta est, & supervivat proles, debet sub conditione rebaptizari, Baptismus enim, cum sit sacramentum necessitatis, debet esse certus.

4. Forma etiam debet integre pronun-ciari: si tamen ob Balbutiem vel ignoran-tiam aliqua particula omittatur, mutetur, vel incongruitas contra latinitatem com-mittatur, quæ substantialem sensum non variet, Baptismus verus est.

5. Deinde obligatur parochus, ut ritus ab Ecclesia institutos in solemnibus Baptismo observet, & vigilet, ut infantes tempestive baptizentur, & ut obstetrices fideles & piæ, ac probæ vitæ in parochijs adhibean-tur, quæ essentialem ritum baptizandi soli-de noverint, ut in necessitate rite baptizare possint.

Arti-

Articulus Tertius.

De peccatis Parochorum.

QUAMVIS Parochos vitia plurima Clericis & Sacerdotibus communia concernant, singularia tamen eorum peccata in quatuor fere membra secari possunt. nimirum: in ignorantiam, negligentiam derelictionem ovium in necessitate, exemplum malum. Peccata ignorantiae sunt: si moraliter & accommodè non sciat quae necessaria sunt ad officium suum, cum enim sit ex natura officij sui, Pastor, Doctor, Judex, Medicus, & Consiliarius, quoties ex ignorantia culpabili in re gravierat, sive in administratione Sacramentorum, sive in Doctrina, sive in iudicio conscientiae, sive in consilijs ac remedijs adhibendis, peccat mortaliter, & versatur tam diu in continuo statu peccati, quamdiu debitis modis & medijs, per studium, lectiones, informationes doctorum virorum, tollere suam ignorantiam non laborat. Peccata negligentiae sunt: si in doctrina & admi-

admi-

administratione Sacramentorum & alijs
 sit ita negligens, ut ex negligentia ejus
 grave damnum animæ ipsi commissæ pati-
 antur, damnum ipsi imputatur & mortali-
 ter peccat. Deinde peccant mortaliter,
 qui ex timiditate sive defectu charitatis o-
 ves suas tempore pestis & belli derelin-
 quunt: item, qui ijs de necessarijs Sacra-
 mentorum ministris non provident. Item,
 qui quovis tempore vel per absentiam, vel
 defectu vigilantis curæ in causa sunt, ut pa-
 rochiani absque Sacramentis & necessa-
 rijs adminiculis moriantur. Peccata mali
 exēpli in materia de Clericis ostendentur.

TITVLVS SEPTIMVS.

De Confessarijs & Confessione.

Articulus Primus.

De Tribunali Sacramentali visibili.

I. **C**Hristus Ecclesiæ Dei promisit alia
 quando institutionem Tribunalis
 in quo animæ vel à peccatis absolverentur
 vel etiam eis ligatæ remanerent, *Matt. 16.*

v. 19.

De Hierarchia Ecclesiastica. 29

v. 19. Tibi dabo claves regni caelorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in caelis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in caelis.

2. Hoc vero Tribunal visibile designatis iudicibus in Ecclesia visibili à Christo de facto institutum & erectum est, patet ex textu Jois 20. Sicut misit me pater & ego mitto vos, hac cum dixisset, insufflavit & dixit eis: accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt. Ubi duplex potestas quæ ad Tribunal hoc constituendum requiritur declaratur, nimirum: jurisdictionis, & Ordinis. Prior potestas illis verbis. Sicut misit me: missio enim quædam jurisdictionis commissio est: alia vero potestas istis verbis: accipite Spiritum S. declaratur.

3. In Ecclesia Dei, ad Tribunal pro animabus in hac vita judicandis, in materia criminali peccatorum constituendum, sufficit potestas certis personis à Christo data, ad eorum peccata vel remittenda vel retinenda: sed talis potestas cum plena jurisdictione

alij
ejus
pati
tali
iter,
s o
lin
cra
em
vel
pa
ffa
nali
tura
16
19

ditione data est Apostolis Jois 20. ergo datur in Ecclesia hujusmodi tribunal & vocatur Sacramentale: quia cum ratione vera sacramenti à Christo institutum est: nimirum tanquam signum visibile, gratiam invisibilem sanctificantem efficiens. Hujus vero Tribunalis fines primarij sunt: remittere & retinere peccata: Secundarij: instruere penitentem, deterrere à malis, exhortari ad bona, ea denique agere, quæ & sacrum Doctorem, Pastorem & Medicum animarum decent.

4. Tribunal Sacramentale pœnitentiæ est institutum à Christo, ut medium necessarium ad Remissionem peccati post Baptismum commissi. Frustra enim hujusmodi tribunal institutum esset, si cuilibet liberum esset, vel illud subire vel omnino recedere; nec retinendi potestas ulla esset apud judices, si alia via peccatores remissionem criminum obtinere possent, itaq; ad tribunal sacramentale recurrendum est, ubi vero re ipsa subiri non potest obligat in voto saltem implicito.

5. Confessio autem Sacramentalis &
Trib-

Tribunal penitentiae omnibus modis secretum est, quia iudicium hoc ad forum Dei pertinet, solis Sacerdotibus tanquam eius Vicarijs commissum, iudicia autem apud Deum circa homines in hac vita occulta sunt, ergo & apud Vicarios iudices. Insuper totum hoc Tribunal in sacro mysterio transigitur, mysteriorum autem Dei natura est, ut abscondita sint & occulta.

Articulus Secundus.

De Confessarij jurisdictione.

1. **O**Mnis & solus Sacerdos, jurisdictionem Sacramentalem habens in penitentem, est iudex legitimus in penitentiae Tribunali, ex quo sequitur quod laico vel non Sacerdoti non debeat fieri confessio Sacramentalis, sed soli Sacerdoti ad hoc approbato: de cuius potestate ac jurisdictione hic quaeritur.

2. Omnis autem iurisdictio sive ordinaria sive delegata, externo aliquo actu vel habitu acquiritur extra Sacramentum: acquiri-

quiri-

quiritur enim vel per electionem ad aliquod officium vel beneficium; aut per concessionem aliquam externam verbo vel scripto factam, vel per rationabilem usurpationem: unde quod à Theologis dicitur jurisdictio inchoative in Sacramento Ordinis dari, id intelligendum est, non tam de jurisdictione quam potestate Ordinis, quæ ad effectum remissionis peccati prærequiritur, & est jurisdictionis hujus fundamentum.

3. Jurisdictionis divisiones sunt sequentes: Ordinaria & delegata, universalis & restricta, certa, probabilis, Dubia. Jurisdictio Ordinaria dicitur quæ alicui competit ex vi muneris officij & beneficij ad quod assumitur, & hanc habent sequentes: Papa, Episcopi, Parochi, insuper habentur Ordinarij: Vicarij generales Papæ, Legati de latere, supremus pænitentarius, Vicarij Generales Episcoporum & pænitentarius Ecclesiæ Cathedralis, vicarij quoque parochiales, ubi vicaria parochialis in officium sive beneficium est instituta. Item ordinariorum nomine gaudent, qui in ordinibus

dinibus exemptis quasi Episcopalem jurisdictionem in suos subditos exercent.

4. Tribus vero modis subjectio ad habentem jurisdictionem Ordinariam in penitentibus nascitur. 1. Ratione Domicilij aut quasi Domicilij, & sunt qui intra limites Parochiæ familiam & habitationem habent vel saltem ubi majori ex parte anni habitant. 2. Juris dispositione ordinarium judicem nanciscuntur: iter agentes, peregrinantes & vagi qui possunt confiteri Parocho loci ad quem deveniunt, tempore quo Sacramenta vel ex obligatione vel devotione suscipere volunt, modo non fiat in fraudem. 3. Privilegio status Ordinarium nancisci censentur, qui alicui statui, familiæ, convictui uniuntur, cui ex privilegio competit, ut superior illius, ordinarij potestate in statum, familiam, convictum gaudeat. Sic qui militiæ ascribitur Sacellanorum militum jurisdictioni subicitur.

5. Jurisdictio delegata dicitur, quæ in penitentem acquiritur, non ex vi officij aut beneficij, sed ex commissione alicujus

F qui

qui ordinariam potestatem habet. Tales sunt Confessarij sæcularium ex ordinibus mendicantium, & alij qui ab Episcopis ad audiendas confessiones exponuntur.

6. Jurisdictio certa est, quæ nititur certo titulo: talis est jurisdictio Ordinariorum. Jurisdictio probabilis est, quæ probabiliter tantum titulo vel fundamento nititur, talis est jurisdictio curatorum quorum beneficia litigiosa, vel qui per Simoniam beneficium obtinuit, quamdiu enim pro vero Parocho se bona fide tenet, tamdiu probabilem jurisdictionem obtinet.

7. Jurisdictio dubia est: quæ ob diversitatem rationum in aliquam partem animum practice non inclinatur, sed illum anxium detinet: talis est jurisdictio ejus qui vere dubitat de titulo, delegatione vel approbatione sua.

8. Jurisdictio restricta est: quæ restringitur ad certum locum, tempus, certas personas, certos casus.

9. Potestas reservandi peccata residet in Summo Pontifice respectu totius Ecclesiæ, in Episcopis respectu Diocesis suæ,

in

in Parocho respectu eorum quos prius ab Episcopis approbatos, specialiter pro suis ovibus delegat, quamvis hæc reservatio sit pænitus in usitata. Idem dicendum est: de alijs ordinarijs Regularibus respectu eorū quos delegant. Potest insuper Summus Pontifex sibi reservare personas, eos à jurisdictione inferiorum Prælatorum eximendo. Non verò possunt id Episcopi. Potest tamen quilibet Ordinarius reservare sibi loca & tempora, respectu illorum qui immediate ab illo jurisdictionem delegatam suscipiunt.

10. Porro sola peccata mortalia prius non absoluta ac censurę reservari possunt, non tamen quodlibet peccatum mortale, sed solum atrociora & graviora crimina patet ex Decreto *Clem. 8. An. 1602 ubi sic* (ait) *ne modum in reservando excedant, & tantum atrociorum criminum absolutionem sibi reservent, quorum reservatio ad Christianam disciplinam retinendã conferat, non autem in destructionem cedat, ne alioquin Sacramenti penitentię ministrorum coarctata potestate, S. Matris Ecclesię pię menti contrarius effectus subsequatur.* Arti-

Arti-

Articulus Tertius.

De qualitate & scientia Confessarij.

I. **N**ulla bonitas vera & intrinseca (que consistit in statu gratiæ & charitatis) requiritur in Confessario ad valide administrandum Sacramentum pænitentia: sed solum bonitas extrinseca legalis, nimirum: ut non sit innodatus Censuris quæ ministro omnem jurisdictionem auferunt. patet ex *S. August. tractat. 5. super Joannem* (ubi sic ait:) *Spiritualis Virtus Sacramenti, ut lux pura ab illuminandis excipitur, & per immundos transiens non inquinatur.*

2. Ad legitimam vero & licitam administrationem Sacramenti pænitentia, ex natura Ministerij requiritur status gratia. Quia ad hunc finem in Ordinatione gratia collata est, ut Ministerium sancte exerceretur, ut patet *Levit. 12. Omnis homo qui accesserit ad ea quæ consecrata sunt &c. in quo est immunditia peribit coram Domino.* ex quo sequitur, quod qui in peccato mortali actu existens pænitentem audit & absoluit, mortaliter peccet. 3. Not

3. Non autem tenetur confessarius in peccato mortali existens præmittere confessionem aut perfectam contritionem, ut licite & sine mortali peccato administret Sacramentum pænitentia: quia nullum tale præceptum reperitur. Sed solum tenetur ad verum motum cordis, quo quantum in se est de peccato doleat, sitque totaliter averfus ab omni voluntate peccaminosa cum conversione ad Deum, & proposito oportune confitendi, quia hoc sufficit, ut dicatur se vere præparare ad gratiam & facere quod in se est juxta præsentem obligationem.

4. Confessarius qua judex est, sequentia scire tenetur. Primo: Rationem peccati mortalis & venialis in genere & distinguere inter bonum & malum. Secundo: Materiam & formam, cæremonias, obligationes & omnia quæ spectant ad debitum Ministerium. Tertio: Omnes casus communes, qui committi solent contra præcepta divina tam naturalia, quam positiva, item contra præcepta Ecclesiastica, item contra statum illorum qui ipsi solent

confiteri. Quarto: Scire debet obligationes & onera quæ per ipsos casus communiter contrahi solent, ut sunt, restitutiones honoris, bonorum, vitæ, satisfactiones, obedientiæ, reconciliationes &c. Quinto: Scire tenetur censuras & pænas Ecclesiasticas, quæ in communibus casibus incurruntur. Sexto: Tenetur scire circumstantias speciem peccatorum mutantem vel aggravantes. Septimo: Scire debet casus, qui communiter reservari solent.

Item confessarius quatenus medici personam gerit, debet scire communia peccatorum & tentationum remedia.

Item: Confessarius ut Doctor tenetur scire communes resolutiones casuum & obligationum, quæ ex peccatis communiter nascuntur, quia consultus à pœnitente vera respondere obligatur.

Item: Confessarius quæ pastor supposita supradictorum scientia, charitatem maxime habere debet, ut animæ pœnitentis provideat & infirmitates omnium portet.

5. Sacerdos omnino ignarus, etsi peccet mortaliter, audiens confessiones, si tamen

men

men veram jurisdictionem habeat, & essentialia Sacramenti servet: valide absolvit. Non etiam tenetur omnia superius narrata, ita scire, ut possit memoriter recitare, sed sufficit illa in habitu & virtualiter, ita scire, ut, quando à pœnitente proponuntur, de qualitate & gravitate actus possit dijudicare.

6. Pœnitentis scientia potest supplere ignorantiam Confessarij: potest enim pœnitens aperire illi perfecte peccata & circumstantias, ita ut non sit opus alio examine vel iudicio: non sufficit tamen ad supplementum ignorantiae confessarij, quod pœnitens intelligat qualitatem peccatorum, & eorum materiam & numerum explicet, nisi explicet etiam qualitatem & gradum, id est quod sit mortale vel veniale, aut in materia gravi peccatum.

7. Tenetur etiam confessarius, quantum potest, super singula peccata mortalia, non tamen venialia quando à pœnitente explicantur se reflectere, quia peccata mortalia sunt materia necessaria hujus iudicij. Non tamen tenetur Confessarius sic se refle-

Etens, determinatū iudicium ferre de gradu malitiæ actus, an sit determinate peccatum mortale, vel veniale, sed sufficit ut gravitatem & qualitatem malitiæ dijudicet, ubi casus non est planè & aperte propositus; quia tale determinatum iudicium, quo ad gradum peccati & malitiæ est omnino impossibile.

Articulus Quartus.

A quo & qualiter approbatio Confessarij fieri debeat.

I. **A**pprobatio est publicum & auctenticum iudicium factum scripto vel verbo, aut alio signo ab habente potestatem, de idoneitate & sufficientia Sacerdotis ad audiendas confessiones: & tamen actus natura sua plane distinctus à collatione jurisdictionis, etsi simul ordinarie concurrant: quia collatio jurisdictionis præsupponit approbationem sive iudicium de idoneitate. Approbatio vero hæc fieri debet ab habente potestatem Episcopalem vel quasi Episcopalem. Quia Concil. Trident.

dent. sess. 23. cap. 16. approbationem confessoriorum, pro sæcularibus etiam Sacerdotibus absolvendis restrinxit, ad Episcopos. Dicitur (*vel quasi Episcopalem*) propter regulares prelatos qui jurisdictionem quasi Episcopalem habent & ad eos examen & approbatio confessoriorum pertinet pro regularibus sibi subditis. Approbatio autem hæc fit tribus modis, collatione beneficii parochialis, examine Episcoporum per se vel examinatores si necessarium iudicetur: Demum per quosvis alios modos ex quibus idoneitas manifesta fieri potest. ita Concil. Trid. sess. 23. cap. 15.

2. Tenetur Episcopus eos qui parochiale beneficium obtinent si idoneos iudicet approbare, vi enim officij sibi commissi jam jus habere noscuntur; Sacerdotibus autem sæcularibus nullum pastorale beneficium habentibus, quamvis repertis idoneis potest Episcopus absque ulla causa denegare approbationem, quia huiusmodi approbatio respectu ipsorum est plane gratiosa, nec est qui conqueri justè possit & dicere cur ita facis: Porro Episco-

pi tenentur approbationem dare Regularibus privilegiatis per examen idoneis re-
pertis, quia Regulares privilegiati privile-
gio summi Pontificis jus ad dictam appro-
bationem habent, supposita idoneitate per
Episcoporum examen.

3. Ad approbationem autem simplici-
ter & iudicium idoneitatis confessoriorum
juxta Concil. Trident. sufficit approbatio
facta ab Episcopo Confessorij: in ordine
vero ad confessiones audiendas & absolu-
tionem salvis privilegijs requiritur appro-
batio Episcopi penitentis. Quia nemo le-
gitime absolvi potest nisi ab habente juris-
dictionem in ipsum, solus autem Ordina-
rius penitentis potest talem jurisdic-
tionem dare.

Articulus Quintus.

*De actibus Confessorij in tribunali
penitentiae.*

1. **T**Res sunt actus primarij Confessa-
riorum, nimirum Examen rei sive
penitentis, iudicium de gravitate sive levi-
tate

tate culparum: & absolutio sive condemnatio: secundarij vero actus sunt: Instructio pænitentis, medela peccatorum, consilium in anxietate.

2. Tenetur vero Confessarius examinare pænitentem, quando probabiliter credit aut suspicatur, eum peccaminose omittere aliquid, quod est necessarium ad Sacramenti pænitiendi validam administrationem (*dicitur quando probabiliter credit aut suspicatur pænitentem omittere*) non enim vexare debet examine indiscreto personas alias honeste instructas, doctas, & quæ moraliter bene explicat peccata, maxime si frequenter confiteantur. Probabiliter vero dicitur credere pænitentem aliquid omittere. 1. Si videatur ignorans vincibiliter. 2. Si appareat nimia verecundia in illo. 3. Si in materia gravi, nec numerum nec circumstantias speciem mutantem referat. 4. Si ita in confuso sua dicat ut confessarius nullum determinatum iudicium de certo peccato facere possit. 5. Si omnino nihil dicat nisi quod male fecerit. Non tenetur vero nec potest absque peccato

cato confessarius examinare penitentem, si probabiliter praevideat ex isto examine grave aliquod peccatum oriundum v. G. quod ex isto examine penitens accipiet incentivum ad peccatum, quod malitiam docebitur, &c. Hinc non tenetur Sacerdos penitentem examinare discurrendo per omnia peccata, sed tantum per graviora & ea quae attenta qualitate, statu, vocatione, conservatione, vel exercitijs personae committi solent. Unde saepius tempus valde inutiliter terunt, qui ad singulas personas fere per omnia decalogi praecepta & per minutilas observantias discurrunt.

3. Huc referri debet casus: quando ob angustiam temporis, multitudinem adventantium, imperitiam penitentis, impotentiam recordationis, vel quia multo tempore non est confessus, vel quia invalide multis annis confessus est: non potest confessarius penitentem examinare, nec convenit illum remittere, tunc potest de gravioribus aliquot peccatis illum examinare, & ad universalem contritionem ac firmum propositum se examinandi & alio

tem-

tempore redeundi excitare & sic illum absol-
olvere.

4. Confessarius tenetur sub peccato instruere pœnitentem, ubi apparet illi inesse ignorantia culpabilis, quæ obicem poneret Sacramento. Insuper tenetur instruere illum de ijs quæ necessitate medij necessaria sunt ad salutem, quatenus ad dispositionem ejus ad hoc Sacramentum hic & nunc requiruntur. Impertinenter vero & non sine peccato faciunt, qui in confessione tempus terunt instructionibus ad hoc Sacramentum non facientibus, nimirum de exercitijs Spiritualibus, de moribus & directione filiarum Spiritualium. Quia hæc sunt contra puritatem hujus judicij, in quò si aliqua doctrina requiratur, non alia requiritur quam in ordine ad absolutionem peccatorum.

Articulus Sextus.

*De peccato pro ut est Materia
Confessionis.*

1. **P**ECCATUM definitur esse: dictum factum vel concupitum contra legem
F 7 Dei

Dei æternam, estq; duplex, mortale & veniale: Mortale est: quod vita gratiæ animam privat & obligat ad pœnam æternam. Veniale est: quod non meretur pœnam æternam sed tantum temporalem. Non etiam potest peccatum mortale idem numero manens in genere moris, fieri peccatum veniale nec è contra, potest tamen id fieri ex mutatione circumstantiarum, neq; possunt peccata venialia quantumvis multiplicata fieri mortalia, quamvis venialium multiplicatio interdum ad mortale disponat.

2. Pro distinctione mortalium à venialibus observandum, quod si gravitas peccati non constet ex terminis præceptorum, vel scriptura, vel traditione Ecclesiæ, vel sententijs Doctorum: quod tunc maturo iudicio expendenda sit, ex triplici capite: Primo: Si in gravem Dei cultus injuriam. Secundo, Si in grave detrimentum salutis propriæ. Tertio. Si in gravem injuriam justitiæ vel charitatis proximi cedat. Peccatum autem ut sit verum peccatum debet esse voluntarium.

3. Pec-

3. Peccatum vero voluntarium dicitur illud quod prava sufficienti cognitione & deliberatione à voluntate libere operante elicitur, imperatur vel permittitur sive cui voluntas libere consentit. Ut autem sic voluntarium censeatur, requiritur. 1. Cognitio sufficiens, non tantum actus vel omissionis, qua actus vel ommissio est: sed qua peccaminosa & illicita est, sive qua malitiam annexam habet. 2. Requiritur deliberatio: quæ nihil aliud est quam iudicium rationis de faciendo vel non faciendo. 3. Quod sit actus voluntatis: cujus actus vel dicuntur elicitus: & sunt qui ab ipsa voluntate immediate procedunt, ut sunt velle, nolle, amare: odire, tristari. Vel dicuntur imperati: & sunt quæ ex imperio positivo voluntatis ab alijs potentijs exercentur. 4. Requiritur ut voluntas libere operetur nimirum ut ab intrinseco metu, coactione, aut ab extrinseco impedimento libertas operandi non impediatur.

3. Porro omnis actus voluntatis deliberatus, sive elicitus, sive imperatus, sive positivus & expressus, sive interpretativus,

in materia gravi est sufficiens ad peccatum mortale. Idem dicendum de actu voluntatis suspensivo, quando ex præcepto in materia gravi voluntas tenetur exire in actum, & de actu voluntatis permissivo, quando quis potest & debet malum in materia gravi impedire & tamen permittit.

4. In motibus sensualitatis diversi reperiuntur motus: Primus est motus naturalis: & est ille, quem naturalium qualitatuum dispositio gignit: ut fames, sitis. 2. Motus sensitivus qui ex apprehensione imaginativa appetitum sensitivum sequitur & iste competit sensualitati pro ut per rationem est dirigibilis. 3. Est motus rationalis, qui à ratione procedit: ut sunt deliberatio in intellectu, delectatio vel consensus à voluntate elicitus aut imperatus. Denuo dividitur motus in primo primos & secundo primos, motus primo primi dicuntur, qui omnem rationis usum præveniunt. Motus secundo primi sunt: qui rationis quidem aliquem usum consequuntur, iudicium tamen deliberatum rationis antecedunt. Ex his motibus pure naturales & primo primi
nut-

nullum peccatum sunt; quia hujusmodi non sunt in nostra potestate, sed soli motus rationales plenam advertentiam & deliberationem consequentes, peccata mortalia esse possunt, quia soli illi motus pleno Dominio voluntatis subjiciuntur.

5. In sola delectatione voluntaria absque ordine ad actum malum, quando post sufficientem advertentiam & deliberationem rationis, voluntas consentit formaliter vel interpretative, in aliquam delectationem internam, de re quacunque illicita in materia gravi, etsi nullatenus consentiat in actum, imo positive dissentiat quantumcunque parvo tempore illa delectatio dureret peccat mortaliter.

Articulus Septimus.

De gravitate peccatorum quam Confessorius debet discernere.

I. **G**ravitas & malitia peccatorum mortalium desumenda est ex triplici capite. Nimirum: ab objecto, ab intentione, à circumstantijs.

2. Actus per se ex natura sua mali, graviora peccata existimari debent, quam qui ex solo præcepto legis sunt mali: quia naturalem quandam deformitatem continet, quæ ab objecto per se bono deflectit; & hoc, actus ex solo præcepto legis malitiam habentes, non faciunt.

3. Inter actus per se malos gravitas expendenda est: ex ratione nobilioris boni & majoris deformitatis, sive recessus ab illo: quia gravius peccatum est odium Dei quam injuria quæ in proximum redundat: inter actus vero malos tantum, quia prohibiti sunt, attendenda est gravitas materiæ legum quæ mandatis substernitur.

4. Nulla quantumvis bona intentio potest reddere actum per se malum, bonum aut licitum, nec è contra.

5. Omne opus quantumvis bonum, si ex mala intensione proveniat, peccatum est juxta malum finem intentum mortale vel veniale: nam actus humanus, non desumendus est ab intensione operis, quæ naturaliter in finem tendit, sed ab intensione libera operantis, qua voluntarie dirigitur.

Hinc

Hinc evidenti periculo peccandi se exponere, etiam quavis intentione bona, peccatum mortale est.

6. Gravitas quæ operi peccaminoso advenit ex ratione circumstantiarum mutantium speciem confitenda est. Quia de non peccato, aut saltem veniali, facit frequenter mortale.

7. Gravitas superveniens actui peccaminoso ex circumstantia mera tantum aggravante vel diminvente intra eandem speciem, in confessione exponenda non est. Quia vix variat iudicium & in singulis vix expendi potest, maxime si mera circumstantia sit & substantiam operis nullo modo attingat. Circumstantiæ vero mixtæ aggravantes intra eandem speciem in duobus casibus in confessione sunt explicandæ. 1. Quando sunt pars notabilis sive objecti illius operis, ut in furto quantitas notabilis. 2. Quando circumstantia mixta, singularem deformitatem numericam, sive virtuale peccatum mortale, operi superaddit intra eandem speciem. V. G. si quis incendens domum viginti personas in illa

con-

conclusas velit interimere, non sufficit dicere incendi domum cum interemptione personarum quæ inclusæ erant; sed addere debet si sciat quot interemptæ sint.

Articulus Octavus.

*De primo actu penitentis qui est
Contritio.*

I. **C**ontritio perfecta est summus animi dolor, & detestatio peccati commissi, propter Deum summe dilectum, cum firmo proposito non peccandi de cætero, dicitur, (*Summus animi dolor*) quod intellige de summo non intensive nec sensibiliter, sed appetiatiue sive æstimatiue, ex eo quod qui conteritur æstimet peccatum summum malum illudq; condemnet super omnia alia mala. Dicitur (*propter Deum summe dilectum*) quia motivum perfectæ contritionis est Deus, super omnia infinite diligendus, adeoque detestatio peccati est in hoc summa, quod sit offensa facta contra Deum summe dilectum, ita ut contritione perfecta dilectio Dei sit
motus

motus animi peccatum commissum summe detestantis.

2. Contritio imperfecta quæ attritio dicitur: est dolor animi propter Deum, qui ex consideratione turpitudinis peccati vel gehennæ & pœnarum metu concipitur, voluntatem peccandi excludens cum spe veniæ. Ita Concil. Trident. ex cuius doctrina sic extenditur: attritio est actus supernaturalis hominis, quo detestatur peccatum contra Deum aut legem Dei commissum, non ex motivo dilectionis Dei super omnia, sed ex alio supernaturali, excludens omnem voluntatem peccandi cum spe veniæ & proposito firmo de cætero non peccandi. Dicitur (*actus supernaturalis*) quia nullus actus naturalis qua naturalis est, ad gratiam etiam dispositive concurrere potest. Unde ad hoc sacramentum inutilis est, omnis detestatio peccati ex causis pure naturalibus originem ducens. Dicitur (*quo detestatur peccatum contra Deum commissum*) debet enim actus detestationis cadere in peccatum, quatenus est Dei offensivum. Dicitur (*non ex motivo dilectionis*

tionis

Etionis Dei) in hoc enim distinguitur à contritione perfecta. Dicitur (*sed ex alio motivo supernaturali*) quod ex fidei supernaturalis apprehensione movet, ut apprehensio iudiciorum Dei, pœnarum inferni, exclusionis à regno, potestatis dæmonis, hæc ex Scriptura & fide, supernaturali lumine cognoscuntur, & sic apprehensa movent voluntatem.

3 Non tamen dolor de peccatis in Contritione sive attritione requirit aliquam sensibilitatem, sive vehementiam & durationem, nam non est necesse ut dolor ille se ad corporeos sensus extendat, & per actus sensibiles manifestetur, utpote per cordis sensibilem motum, lachrymas, suspiria, singultus, quia hæc frequenter in nostra potestate non sunt, sed sufficit si verus sit dolor ad contritionem vel attritionem requisitus: cuius nulla requiritur intensio, vehementia, vel duratio: quia ut supponitur verus est dolor in substantia ad essentiam actus requisita. Intensio vero & duratio sunt perfectiones accidentales.

4. Nec in contritione vel attritione dolor

forde peccato exerceri debet, super singula peccata in individuo, sufficit enim si pœnitens studeat peccata omnia mortalia quantum potest mente recolligere, ac eorum gravitatem specificam aliquo modo apprehendere, ac demum illa collective & in genere detestetur, ut Dei offensas in specie sua graves, idque actu Magis universalis, ne se nimis per singulares actus discruciet. Non etiam necesse est ut contritio de peccatis formaliter duret tempore Confessionis & absolutionis sed sufficit ut virtualiter permanere censeatur, unde non est necessarium ut accedens ad confessionem novum dolorem excitet, si ante excitarit, dummodo contrarium actu non exercuerit.

5. Firmum propositum de cætero non peccandi consistit in actu voluntatis, absolute cum Dei gratia proponentis deinceps non peccare mortaliter. Ad hoc propositum pertinet, quod velit satisfacere omnibus obligationibus. Ad quas sub peccato mortali tenetur, ut ad restitutiones faciendas, pœnitentias ad implendas, & alia quæ vel
ex na-

ex natura peccatorum, vel ex iusta impositione confessarij oriuntur. Non tamen tenetur vigore hujus propositi vitare occasiones remotas, sed solum pericula propinqua peccati mortalis. Nec tenetur credere se in peccata mortalia non relapsurum, potest enim stare in eodem pœnitente firmum propositum de præcavendo etiam singulari peccato mortali, cum existimatione quod de facto in illud relabatur, quia firmum propositum innititur præsentì voluntati, qua à tali peccato averfus est: existimatio autem quod iterum peccabit, innititur expertæ suæ fragilitati: quæ duo sunt compatible, versantur enim circa diversa objecta, unum circa præsens objectum voluntatis, alterum circa fragilitatem & incentiva occasionum.

Articulus Nonus.

De secundo actu pœnitentis qui est

Confessio.

1. **C**onfessio Sacramentalis nihil aliud est quam legitima manifestatio peccatorum à pœnitente coram Sacerdote sen-

te sensibilibus signis secreto facta, in ordine ad obtinendam eorum remissionem per sententiam absolutionis. Cujus vestigia inveniuntur. Num 5. v. 6. (ubi ait:) *vir sive mulier cum fecerint ex omnibus peccatis qua solent hominibus accidere, & per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini confitebuntur peccatum suum.*

Quod de externa aliqua confessione intelligit Petrus Galatinus: lib. 10. cap. 3. Pro-
bans ex testimonijs Rabbiorum, confessionem externam fuisse apud Judæos antiquitus observatam. Verum post legis novæ promulgationem, confessio sensibilibus signis Sacerdoti de mortalibus peccatis facta, fuit semper necessaria, demandata & usurpata, in re vel in voto ad remissionem peccatorum.

2. Confessio oris in Ecclesia usurpata ita obligat, ut non liceat absq; peccato mortali aliter confiteri, nisi causâ aliquâ justâ id postulante. Id indicat Concil. Florent. dum materiam Sacramenti dicit esse confessionem oris, quia certius exprimit pœnitentis statum, & de contritione peccatorum

G

rum

rum testificatur. Dicitur (*nisi iusta causa
id postulante*) causa autem iusta reputabi-
tur, quæ vel necessitate, vel pænitentis uti-
litate inducitur: ut in muto, aut qui idio-
ma non novit quod Confessarius callet,
item cum Sacerdos est surdus, ita ut pæni-
tens non possit nisi cum periculo infamiae
confiteri, item ob infirmitatem periculo-
sam, in his & similibus causis juxta ratio-
nem necessitatis vel utilitatis, tum signis
tum nutibus, tum Scriptura, confessio legi-
time fieri potest. Signis vero & nutibus
præferenda est scriptura, & qui scripto cõ-
fitetur debet esse præsens & aliquo signo
demonstrare, hanc scripturam ordinari ad
confessionem dolorosam suorum pecca-
torum. Si verò nutibus vel signis fiat, tali-
bus uti debent: ex quibus confessarius pec-
cata cognoscere possit. Quare si mutus
det signa tantum probabilia absolvendus
est sub conditione (si sis dispositus) non
debet tamen fieri confessio per interpretem
quando idioma est ignotum, nisi urgente
rationabili causa, id est, vel in articulo mor-
tis, vel quando confessio multum esset e re
salu.

salutis, & tunc fieri debet per interpretem præsentem, ille enim tenetur dare testimonium actuum præsentium pænitentis & hoc non potest nisi actu sit præsens.

3. Porro qui in infirmitatē vel phrenesin lapsus obmutuit, si talis signa certa, certi alicujus peccati ostendat, seque desiderare confessionem innuat, absolute absolvendus est: item si taliter obmutescens, antequam Sacerdos adveniat coram aliquo vel aliquibus, signa doloris & postulatæ confessionis ostendat, & ipsi de hoc testimonium reddant, absolvendus est, quia testes signorum manifestorum subeunt locum. Item: si pænitens privetur omni operatione sensuum, ut nullum appareat signum vel nutus, quo etiam dubie apprehendere possit confessarius, ipsum de peccatis pænitere, sub conditione absolvendus est: potest enim fieri, ut intus de peccatis doleat aliaque signa edat sacerdoti incognita, ut suspiria, gemitus, aspirationes. &c.

4. Conditiones ad Sacramentalem confessionem requisitæ sunt tres: nimirum: ut sit Dolorosa, vera, & integra, Dolorosa di-

citur quæ cum accusatione & dolore de peccatis fit, sub qua comprehenduntur conditiones ab alijs relatæ, quod sit Humilis, libera, discreta, verecunda, lachrymabilis, fortis, accusans, & sit parere parata. Vera confessio dicitur: quæ nihil falsitatis vel simulationis annexum habet. Integra est: quæ de omnibus peccatis mortalibus & eorum circumstantijs fit.

5. Qui scienter committit falsitatem in materia gravi confessionis peccat mortaliter, & confessionem invalidam reddit. Item: qui deliberate aliquod peccatum confitetur quod non fecit. Item: qui quod novit esse dubium, confitetur ut certum. Item: qui plura peccata mortalia etiã intra eandem speciem confitetur quam commisit, etsi tantum unum superadderet, similiter peccaret mortaliter.

6. Integritas Confessionis est duplex: alia materialis, alia formalis. Materialis est: quæ comprehendit omnia peccata mortalia necdum legitime confessa. Formalis est: quæ quamvis non comprehendat omnia peccata mortalia necdum confessa,

com-

comprehendit tamen ea, quæ hic & nunc, juxta præsentis circumstantias tenetur aut potest pænitens confiteri, duplex autem attendi potest species peccatorum ad integritatem spectans: alia est physica, quæ singulis actibus inest, & hæc non est necessario confitenda, quia entitates illæ quatenus physica, per se peccata non sunt V. G. si quis cum muliere quadam commisit adulterium. Plures concurrunt actus, utpote: egressus est domo, introivit per fenestram, mulierem respexit, tetigit, incitavit, isti actus specie physica distinguuntur & ad confessionis integritatem sunt impertinentes, quia unam moralem speciem malitiæ contrahunt in ipso actu adulterij positam, alia est species moralis: quæ in esse actui vel omissioni consideratur, quatenus deformitatem habet in genere moris, & hæc species sunt explicandæ in confessione ut integra fiat V. G. qui mulierem non suam cognovit, debet confiteri an soluta, maritata, Religiosa, consanguinea fuerit. Tandem requiritur ad integritatem Confessionis, ut omnia peccata mortalia quo ad

numerum explicentur, si pœnitens eorum recordari possit.

7. Confessarius cum rusticis qui nullam numeri peccatorum curam gerunt, ubi certum numerum habere non potest, requirat verisimilem, si vero nec illum habere possit, inducat pœnitentes ut simpliciter aperiant statum, modum vivendi, consuetudines, inclinationes, ut ex istis prudenter colligat malitias quibus hujusmodi gravantur, & iudicium sibi de ejus qualitate formet, eumq; ad contritionem de omnibus disponat.

8. Sigillum Confessionis, non solum jure naturali sed etiam divino ex institutione Christi ita huic Sacramento annexum est, ut nec Ecclesia tota, minus Sacerdos aut pœnitens, in eo dispensare possit. Quare peccatum commissum contra sigillum confessionis, non est tantum peccatum contra justitiam & charitatem de conservanda fama proximi: sed etiam est Sacrilegium ob profanationem sigilli sacri. Quo presupposito non potest confessarius absque peccato sacrilegij, uti scientia accepta in

confes-

confessione, etiam de licentia pœnitentis, insuper non potest confessarius imponere pœnitenti, ut quæ dixit in confessione foris extra sacramentum dicat, vel superiori revelet, nisi persona quæ confitetur, sub peccato mortali teneretur malum imminens quovis modo avertere, nec possit alio, quam monendo superiorem, tunc potest Confessarius imponere pœnitenti ut moneat superiorem, etiamsi necesse fuerit complices manifestare.

Articulus Decimus.

De tertio actu pœnitentis qui est satisfactio.

I. **S**atisfactio Sacramentalis est opus bonum pœnale à confessario impositum, ad pœnæ temporalis, peccatis confessis debitæ, solutionem, quamvis enim peccata mortalia quo ad culpam remittantur per absolutionem, remanet tamen aliqua pœna temporalis in iudicio Dei solvenda, ad cuius solutionem necessarium est aliquod opus pœnale, quod triplex est. Nimirum: Oratio, jejunium & Eleemo-

fyndat, ad quæ cætera reducuntur. Sub oratione comprehenduntur omnes actus Religiosi fidei, spei, amoris in Deum, actus laudis, gratiarum actionis, genuflectiones, adorationes, visitationes. Sub jejuniis omnes austeritates corporales, cilicia, humicubationes, disciplinæ, peregrinationes continentur. Sub Eleemosyna omnia opera misericordiæ spiritualia & corporalia.

2. Non verò tenetur Confessarius imponere pœnitenti satisfactionem pœnis peccatorum æqualem, vel aliquo modo proportionatam, quia pœnæ debitæ quæ solvendæ manent in foro Dei pro peccatis, nobis sunt absolute incognitæ, proinde proportionatas pœnas imponere non possunt, quamvis in veteri Ecclesia pro peccatis externis pœnitentiæ fuerint taxatæ.

3. Qualitas autem & quantitas pœnitentiæ injungendæ, est plane in arbitrio Confessarij constituta. Cui permittitur de illa disponere quantum Spiritus & prudentia suggererit, pro qualitate criminum & pœnitentiũ facultate. Quare pœnitentia.

i. Debet esse misericors juxta Conc. Trid.

sess.

sess. 4. cap. 8. pænitiæ Sacramentum non est forum iræ, sed tantum ad piam aliquam vindictam peccatorum. 2. Debet esse salutaris: & fieri per bonas admonitiones, ut peccatori gravitatem culpæ inculcet, & ostendat quod pænæ peccatis confessis debitæ, varijs modis solvantur. Nimirum: pænis & castigationibus voluntarie susceptis, flagellis divinis patienter toleratis, & alijs operibus in gratia factis. 3. Debet esse accommodata: quia consideranda est in pænitéte, animi promptitudo, inclinatio, fragilitas, occupationes, ne exponatur periculo non faciendi. Quo enim fructu hominē, cui nimium est, unam aut alteram orationem dominicam recitare, onerabo multis Rosarijs, psalmorum recitationibus, &c. qua prudentiâ hominem avarum, qui vix sibi benefacit, ad largitionem Eleemosynarum obligabo, sane in his multâ prudentiâ opus est, & attendenda est magis animi dispositio, quàm facti substantia. 4. Debet esse medicinalis: ut aliquo modo ad novæ vitæ custodiam & infirmitatis medicamentum referatur.

Ex dictis infero i. confessarios non debere inquietari cum magnis peccatoribus alias ad subeundas graves pœnas indispositis. Sufficit enim si illos faciant intelligere gravitatem peccatorum suorum, & necessitatem satisfaciendi in hoc seculo vel futuro, & possunt leviores pœnitentias iungere, committendo illos iudicio & misericordiæ divinæ. ita sentit S. Chrysoſt. Hom. 43. ad Cap. 23. Matthæi (ubi sic ait:) Sunt etiam nunc Sacerdotes qui grave pondus venientibus ad pœnitentiam imponunt. Si enim fascem super humeros adolescentis, quam non potest bajulare posueris, necesse habet ut fascem rejiciat, aut sub pondere confringatur: Sic & homini cui grave pondus pœnitentiæ imponis, necesse est, ut aut pœnitentiam rejiciat, aut suscipiens, dum complere non potest, scandalizatus amplius peccet, deinde etsi erramus modicam pœnitentiam imponentes: nonne melius est propter misericordiam dare rationem quam propter crudelitatem: ubi enim paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax, si Deus benignus est, ut quid Sacerdos ejus austerus.

sterus. Et si Deus ad unicum verum cordis contriti gemitum peccata nefandissima remittit etiam quo ad penam, quid fatigamus nos onerando gravibus penitentijs peccatores.

Infero 2. Confessarios debere declarare onera quæ ex peccatis nascuntur, ut sunt restitutiones bonorum in furtis, famæ in detractationibus, injuriarum in adulterijs, fugam necessariam in recidivis, reconciliationem cum inimicis, hoc enim modo peccatores gravitatem peccatorum agnoscunt.

Infero 3. Quod sit attendendum ad modos penitentiarum, dantur enim leves quæ maxime castigant. V. G. in eo, qui frequenter in idem peccatum incidit, si huic injungatur ut quoties cadit, aliquoties salutationem angelicam tanto tempore, ut per mensem recitet, ex simili freno peccatores reducuntur in memoriam sui lapsus, & timorati efficiuntur.

Articulus Undecimus.

De natura & qualitate Conscientie.

1. **A**d conscientie actum formandum

G 6

con-

concurrunt. Primo Synderesis ; seu habitus principiorum, qui in genere docet bonum faciendum & malum reprobandum, non determinando objectum bonum vel malum. 2. Rationis deliberatio, an id de quo faciendo consultatur sit bonum vel malum. 3. Lex naturalis ; naturaliter dictans quid sit bonum vel malum. Item habitus fidei supernaturalis, multa enim sunt quorum bonitas vel malitia sciri non potest, nisi ex fidei nostræ principijs, item lex Dei positiva, leges humanæ ad peccatum obligantes, Scientia particularis diversis studijs acquisita. Ex his conscientiæ iudicium formatur per modum conclusionis nimirum : hoc sequendum vel fugiendum esse. Conscientia vero striete accepta in rigore nihil aliud est quàm actus intellectus practice iudicantis, aliquid in singulari faciendum vel fugiendum, laude vel pæna dignum, ex eo quod facultas ratiocinativa, ex nonnullis principijs illud cum aliqua credulitate proponit ut bonum vel malum. Dicitur (actus) ut distinguatur à Synderesi, lege, vel lumine naturali, alijsq; habitibus.

habitibus, conscientia enim procedit ab illis habitibus, sicut effectus à suis causis.

2. Conscientia sic descripta quintuplex est: 1. Vocatur recta sive infallibilis, quæ ex principijs infallibilib⁹ formatur. 2. est: Cōscientia erronea: quæ ex principijs erroneis procedit: 3. Est probabilis: quæ ex probabilibus tantum principijs formatur. 4. Est Conscientia dubia: quæ ex principijs practice dubijs procedit. 5. Est conscientia scrupulosa: quæ ex inutilibus motivis absque fundamento rationabili formatur. His superadditur conscientia Hypochondriaca, quæ ex humore melancholico potius, quam ex principijs intellectus procedit.

3. Actus autem conscientia sic explicantur, vel enim conscientia respicit bonum aut malū ut factum, aut ut est in fieri, aut ut faciendum est. Respiciens itaque bonum ut factum, hos actus habet; approbare, testificari, complacere, si respiciat bonum ut modo fit, ejus actus sunt inclinare, incitare, confortare. Respiciens bonum ut faciendum, sequentes effectus ha-

bet, approbat, consulit, excitat, suadet. Rur-
sus igitur respiciens malum ut præteritum
hos sortitur actus; remordet, reprehendit,
accusat, convincit, condemnat. Si respiciat
malum ut in præsentis fit, ejus actus sunt:
reprehendere recalcitrare, obmurmurare,
si denique respiciat malum ut in futuro fa-
ciendum, ejus actus sunt: retrahere, ter-
rere, ligare.

*Praxis Confessarij circa penitentem con-
scientia erronea laborantem.*

PRimo omnes actus præteritos ex bona
fide & conscientia erronea invincibili
provenientes (quantumvis vel ex natura
sua, vel ex præcepto, aut circumstantia ca-
dente sub conscientia erronea vincibili
malos) debet confessarius in foro consci-
entiæ judicare non fuisse peccata, tenetur
tamen penitentem de errore informare,
nisi probabiliter prævideat majus malum
& animæ periculum grave, utpote: conti-
nuationem ac multiplicationem peccati
subsecuturã V. G. Joannes duxit in uxorem
consanguineam uxoris defunctæ in gradu
diti-

dirimente , sciens quidem se non posse propriam consanguineam ducere: credens tamen sibi non prohibitum ducere consanguineam uxoris : interim agnoscit illam ut suam , proles ex illa suscipit : deprehendit Confessarius errorem, & agnoscit si ex officio illum informet, illum uxorem putativam non derelicturum, scandala multa oriunda , tunc magis tenetur dissimulare quia ex duobus malis minus eligendum est. 2. Quo ad actus & omissiones futuras cum necdum aut incipiunt, aut esse habent extra suam causam , si advertat Confessarius pœnitentem laborare conscientia erronea invincibili respectu illorum, tenetur Confessarius ipsum informare de errore, quamvis prævideat illum non acquieturum sed peccaturum. 3. In materia quæ vel peccatum non est, vel mortale non est, si confessarius deprehendat dictante conscientia erronea quacunque, pœnitentem credere peccatum esse quod non est, tenetur ipsum informare de errore.

Praxis

*Praxis Confessarij & penitentis circa
conscientiam dubiam.*

PRimo juxta rationē materiæ & obligationis de qua quis dubius operatur, est judicandum de peccato mortali vel veniali. Secundo: Quando cunque dubium est de honestate vel malitia actionis in se, nemo potest absque peccato operari, nisi conscientiam dubiam deposuerit, sed tenetur absolute omittere. 3. Quando dubium est juris vel præcepti, si dubitetur de lege an sit lex talis data vel non: stante dubio potest quis absque peccato libere operari. Item qui dubius est de sensu sive interpretatione legis, potest non obstante dubio operari, secundum favorabiliorem sibi partem, dubitans autem an in casu aliquo occurrente lex obliget, tenetur stante dubio abstinere à transgressione legis, nisi ratione probabili dubium prius deponat. 4. Duobus præceptis contrarijs occurrentibus & eodem tempore obligantibus, si non possit utrique satisfacere: & ita dubius hæreat, ut sive unum omittat, sive faciat, appre-

apprehendat in utroque periculum peccandi, si dubium deponere non potest manente dubio absque peccato potest alterutrum eligere. 5. Quando quis est certus se peccatum commisisse, dubitat autem an sit mortale vel veniale, tenetur confiteri, item dubitans an actus quem committit, vel omittit sit peccatum mortale, peccat mortaliter, & tenetur non tanquam dubium, sed tanquam certum confiteri.

*Praxis Confessarij & penitentis circa
Conscientiam & sententiam probabilem.*

Primò quicumque in sequenda opinione probabili vult securus esse: necessè est, ut de probabilitate rei per opinionem propositæ, iudicium humano & morali modo sibi former, & in operatione sua certitudinem moralem habeat absque practica formidine oppositi. 2. Opinio probabilis posterior actu, non potest actum præteritum reddere bonum, si alias dum fieret malus fuerit, sive ex opinione, sive ex dubitatione, sive ex culpabili negligentia. 3. Omnis

mnis

mnis opinio quæ substantiam divini præ-
 cepti, sive naturalis, sive positivi alterat, ut
 blasphemia ableganda est ab humano cor-
 de, ubi vero est necessitas operandi, defi-
 ciente sententia præctice certa, licet adhi-
 bere quamcunque etiam speculative, tan-
 tum probabilem. 4. Nunquam licet absq;
 peccato uti probabili opinione relicta sen-
 tentia certa, si illius usus in nostra sit pote-
 state. 5. Omnis opinio, ut sit vere proba-
 bilis debet conformari principijs & præ-
 ceptis charitatis Dei & proximi, in sub-
 stantia, fine & ordine. 6. Confessarius te-
 netur se conformare quo ad iudicium sa-
 cramentale opinioni penitentis, si vere
 probabilis sit, etiam contra propriam opi-
 nionem, nam quodocunque sequitur ex
 aliqua opinione gravamen operanti vel a-
 licui tertio, præferri semper potest altera
 opinio, & aliquando consultius est, sequi
 illam qua à gravamine absolvitur, relicta
 illa quæ gravamen inducit. 7. Inter opinio-
 nes vere probabiles per se non tenetur ho-
 mo sequi tutiorem.

Præ-

Praxis Confessarij circa scrupulosum.

PRimo sollicite debet statum scrupulosi penetrare, ut sciat distinguere inter timoratum & vere scrupulosum, qui distinguuntur per hoc, quod timorati timor fundetur in præceptorum Dei perfectione & veritate, ita ut amore Dei otiosum verbū & otiosam cogitationem fugiat sciens puritati divinę legis id repugnare, è contra scrupulosus sequitur quęlibet ventū imaginationis suę. 2. Attendendū est an scrupuli non oriantur ex culpa & peccato, quia qui scrupulosus videtur sæpe dat causam scrupulis ex pigritia, incuria salutis, divagatione affectata mentis, & talis non ut scrupulosus, sed ut peccator tractandus est. Ex signis autem his advertet Confessarius an vere sit scrupulosus; si nimirum notet in homine timorem Dei & peccati antecedentem, item si dum est extra scrupulum videat eum salutis suę curiosum. Demum si notet tristitiam oriri ex mera apprehensione mali. 3. Considerandę origines scrupulorum, an ex ignorantia in-

vinci-

vincibili, vel aliquo errore, vel ex debilitate ingenij aut melancholia. 4. Non credat Confessarius scrupuloso quamvis ille putet se sua enucleate pandere, sed debet rem ipsam in perturbato animo expendere, & ex re ipsa, non ex scrupulosa narratione iudicium ferre. 5. Debet esse Confessarius resolutus in sua responsione, si enim agatur de peccatis præteritis absolute resolvat, si scrupulos esse deprehendat, non esse peccatum, nec permittat ullatenus illi similia confiteri. 6. Cogere eum debet ut contra scrupulum agat, quamdiu enim scrupulus manet, ob incertas suas ratiunculas tamdiu peccatum non est. Quare potest contra huiusmodi vacillationes frontem confirmare & agere, quod non modo sufficit ad vitandum peccatum, sed etiam meritorium est. 7. Advertendum ne in fatuitatem scrupulosus dilabatur, idcirco jejunia & austeritates prohibeat etiam in diebus obligationis, si vel modicum videat nocere, fervores temperet, cibos consulat, nec timeat Confessarius interdum in præceptis Ecclesiæ vel regulæ dispensare, si ex

ho-

horum observatione videat illum periclitari. 8. Ne scrupulus scrupulo superinducatur, à multis discursibus cum scrupulosis abstinendum est.

Articulus Duodecimus.

De Absolutione Sacramentali.

I. **A**bsolutio à peccatis, necessariò necessitate Sacramenti, verbo oris debet exprimi, *ita Conc. Trid sess. 14. c. 3. docet præterea S Synodus Sacramenti penitentiae formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: ego te absolvo: Etsi verò hæc verba, ego te absolvo, essentialiter sufficiant, ex institutione tamen Ecclesiæ & communi usu addenda sunt verba à peccatis tuis. Sensus verò adæquatus formæ sacramentalis est; potestate judiciali mihi commissa, tibi remitto peccata per hoc Sacramentum, quod per se mediante gratiâ quam efficit, remissivum peccati est, hæc enim omnia virtute continentur in his verbis absolvo te.*

2. Non etiam est repetenda absolutio ob majorem numerum ejusdem peccati
post

post absolutionem à penitente, superadditum, si modicum tantum excedat, & in priori moraliter contineatur, aut ob circumstantiam quæ speciem non mutat, aut propter venialia tantum. Sed ob peccata speciem mutantia, aut mixtas circumstantias quæ malitiam peccati graviter immutant repetenda est peccatorum absolutio, quia illa novam materiam novæ Confessionis suppeditant.

3. Confessarius potest denegare absolutionem quando ex notitia in confessione habita, certo advertit, indispositionem aliquam in peccatore quæ opponitur fini Sacramenti, quia tenetur sacrilegium impedire. Indispositiones vero sunt sequentes, defectus patens in confessionis formali integritate, in attritione, in proposito emendæ, restitutionibus, reparationibus scandalorum reconciliatione cum inimicis, occasionibus proximis fugiendis, obedientia ad satisfactionem congruam suscipiendam, recidiva continua non interpolata, quadam etiam in persona deprehensa fatuitate, vel quia nullum reale peccatum in singulari proponit.

4. Ex quibus infero Confessarium peccare si neget absolutionem pœnitenti ob solam dubiam ejus indispositionem. Item: Confessarius externam notitiam habens de peccatis pœnitentis, quam pœnitens negat, ubi illum sufficienter examina- verit debet hoc remittere ipsius conscien- tiæ & tanquam nesciens procedere ad ab- solutionem.

5. Peccatori autem non potest impo- ni pœnitentia publica ex vi hujus Tribuna- lis qua Sacramentum est, si per illam contra pœnitentem possit prætendi suspicio alicu- jus peccati etiam in genere, quia hoc tribu- nal ex natura sua debet esse secretum.

TITVLVS OCTAVVS.

*De Presbyteris illorum obligatione
& peccatis.*

Articulus Primus.

*Quid sit Presbyteratus quæve ejus
materia & forma.*

I. **P**Resbyteratus ordo sic adæquate de- scribi potest: quod sit Sacramentum
quo

quo viro baptizato ab Episcopo ordinante confertur gratia & potestas, ad conficiendum & offerendum in vero sacrificio corpus & sanguinem Christi, & absolvendum fideles à peccatis. Dicitur (*Sacramentum*) Ordo enim Sacerdotalis inter septem novæ legis Sacramenta annumeratur. Dicitur (*viro baptizato*) cum enim baptismus sit janua Sacramentorum non poterit ordo non baptizatis administrari. Dicitur (*viro*) quia sexus fæmineus ordinis incapax est.

2. Dux sunt formæ partiales sacerdotalem ordinationem perficientes. Prior est, accipe potestatem offerre Sacrificium Deo, missasq; celebrare tam pro vivis quàm pro defunctis in nomine Domini Amen. Posterior: accipe Spiritum sanctum quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt. Quia cum in ordinatione Sacerdotis, duæ conferuntur potestates, nimirum in Corpus Christi verum & mysticum, ideo diversis signis formalibus, & diverso tempore dari debuerunt idque exemplo Christi, qui in

ulci-

ultima cæna, consecrans Sacerdotes illis potestatem dedit in corpus suum verum: post resurrectionem vero in corpus suum mysticum, dicendo accipite Spiritum S.

3. Sola manuum impositione absque porrectione patenæ cum pane & calicis cum vino, multo tempore in Ecclesia Sacerdotes consecrati sunt ita S. Bonavent. in 4. Dist. 24 p. 2. A. 1. q. 4. ubi totam materiã presbyteratus constituit in impositione manuum: Porrectionem vero patenæ cum pane, & calicis cum vino, ab Ecclesia posterius superadditam, tanquam signum expressius & velut partem materiæ integram. Unde porrectio patenæ cum pane, & calicis cum vino, non est pars essentialis Ordinationis Sacerdotis, sed tantum pars integralis. Quia Sacramentum Ordinationis, non potest absque sua essentiali materia subsistere: Sed absque porrectione patenæ & calicis cum vino subsistit, à tempore primitivæ Ecclesiæ usque ad tempora Stephani Papæ, imo & in Ecclesia græca, usque modo subsistit, ergo non est de essentia, sed tantum pars integralis, non potest

H est

est autem omitti in ordinatione absque peccato mortali.

Articulus Secundus.

Quanta sit dignitas Ordinis presbyterij.

EX quatuor potissimum capitibus Sacerdotis dignitas æstimanda est. 1. A Sacerdotis auctore. 2. A persona cuius vicariam potestatem gerit. 3. A potestate & ministerijs in ordine ad sacrificium. 4. A potestate ac Ministerijs ad populum Dei, quæ sic declarantur, (à Sacerdotij auctore) qui fuit Christus, filius Dei, verbum incarnatum. Qui Sacerdotium in ultima cæna instituit, cum corpus suum & sanguinẽ sub specie panis & vini, patri æterno offerens, Apostolos Sacerdotes consecravit, quantum vero id Sacerdotio dignitatis præstet, expendit *S. Dyonis. Areopag. L. Eccles. Hier. cap. 1. Ut enim* (inquit) *qui Sacerdotium dixit, sacrorum ordinem uno vocabulo signavit ordinem: ita qui Sacerdotem seu Pontificem dicit, augustiorem prorsus quæ divinum insinuat virum: (& subdit) huius profecto Sacrae functionis initium est. fons vitæ,*

vita, bonitatis essentia, unica rerum omnium
causa beatissima trinitas.

A persona cujus Vicariam potestatem
gerit quia Sacerdos Christi domini suc-
cessor non est, sed vicarius, ejus personam
ministerialiter gerens, imo actione & ipsis
verbis Christi Sacrificium perficiens, unde
S. Chrysof. Hom. 60. in Mattheum. Verum
(inquit) *& tu laice cum Sacerdotem videris*
offerentem ne ut Sacerdotem esse putes hoc
facientem, sed Christi manum invisibiliter
extensam.

A potestate in ordine ad Sacrificium,
Sacerdoti summa accrescit dignitas, quam
agnoscens merito exclamat: *S. August. lib.*
de Eccles. Dogm. O Sacerdos Dei si altitudi-
nem celi contemplaris altior es: si pulchritu-
dinem solis, lune, & stellarum, pulchrior es: si
discretionem angelorum discretior es: si o-
mniū Dominorum sublimitatem subli-
mior es: solo tantum creatore inferior existis.

A potestate & Ministerijs ad populum
Dei, quæ consistit in solutione vel reten-
tione peccatorum tanta oritur dignitas ut
S. Chrysof. lib. 3. de Sacerdotio illos præferat

Angelis & Archangelis : qui terram (inquit) incolunt atq; in ea versantur. ijs commissum est, ut ea que in calis sunt dispensent: ijs datum est ut potestatem habeant, quam Deus optimus neq; angelis neq; Archangelis datam esse voluit.

Articulus Tertius.

Quenam sint obligationes Sacerdotum quatenus Sacerdotes sunt.

1. **O**bligatio est: Quod sit rite Ordinatus, quia Christus solos Sacerdotes tanquam Apostolorum in Sacerdotio successores, hujus sacrificij ministros instituit, eisq; præcepit per hæc verba: hoc facite in meam commemorationem.

2. Ut Sacerdos impotentia ad essentialia Sacrificij peragenda non laboret: unde mutus, vel ita Balbus, ut formam verborum sacrificij pronunciare nequeat, missam celebrare non potest: item: verba consecrationis ignorans, aut legere non valens, vel materiam sacrificij moraliter distinguere nesciens, à celebrando repellitur.

3. Ut

3. Ut voluntatem habeat conficiendi corpus & sanguinem Christi, adhibendo essentialia ad valide sacrificandum.

4. Ut sit absque peccato mortali: non tamen tenetur habere de hoc certitudinem evidentem, sed sufficit quod habeat aliquam certitudinem moralem: quâ facta morali diligentia, non appareat sibi conscius alicujus peccati mortalis, hæc vero certitudo moralis, non excludit levem suspicionem vel formidinem de opposito: si vero Sacerdos urgente necessitate absque prævia confessione celebraverit, quam primum confiteatur. Id est quando absq; incommoditate, imo quando cum devotione & fructu poterit.

5. Ut sacerdos non sit impeditus censura vel pæna canonica, si enim sacerdos excommunicatus vel suspensus celebret missam, præter peccatum mortale quod committit fit irregularis.

6. Ut absit à Sacerdote omnis immunditia vel indecentia gravis & scandalosa corporis. Hinc pollutio nocturna vel diurna, voluntarie procurata ac per veram

pænitentiam non eluta, impedit à celebratione, non tamen pollutio inculpabilis, nec etiam culpabilis, si per confessionem peccatum sibi remissum confidit.

7. Ut sit jejunus: Prærequiritur enim jejunium naturale, ita ut nihil in stomachum intraverit post mediam noctem actu vitali, per modum cibi vel potus, aut medicamenti ante celebrationem missæ. Hoc præceptum ex instinctu Spiritus S. processisse (quamvis Christus non jejunus, post esum Agni Paschalis corpus suum Apostolis tradiderit) testatur S. August. Epist. ii. ad Januarium. *Placuit (inquit) Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti, prius in os Christiani corpus Dominicum intraret, quam exteri cibi.* Non tamen qui os abluens aliquot guttas aquæ deglutiret, censeretur jejunium solvisse, tum quia actus vitalis non est, sed per modum salivæ decurrit: tum quia non sumitur per modum cibi vel potus aut medicamenti activi, idem censeretur dicendum de eo qui globum, plumbeum deglutiret, ad sedandam colicam, dolores & contorsiones iliorum.

8. Ut

8. Ut habeat intentionem formalem vel virtualement, non tamen sufficit virtualis intentio generalis, ad particulares actus consecrationis hujus panis, hujus vini, nisi etiam virtualiter ad hanc materiam determinetur.

9. Quando stipendium missarum est usu sufficiens, & constat de intentione Obligatoria ejus qui stipendium dedit, celebrans tenetur illi applicare titulo justitiæ totum fructum satisfactorium missæ, juxta portionem quæ communiter applicatur.

10. Quod habeat scientiam & experientiam rituum essentialium, integratum, & accidentalium & attendat ne ullos horum ex contemptu vel negligentia omittat.

11. Ut non celebret in Ecclesia polluta, pollutionem vero illam inducit, injuriosa & gravis effusio sanguinis aut occisio hominis in Ecclesia. Item peccaminosa & carnalis humani seminis effusio voluntarie excitata, quocunque actu fiat, ut concubitu, excitatione per tactus & oscula: Item: cum Excommunicatus, paganus, & infidelis non baptizatus in ea sepelitur.

Articulus Quartus.

De peccatis Sacerdotum ut Sacerdotes sunt.

1. **S**acrilegium committunt qui non ordinati Sacerdotes, missas celebrant.

2. Peccant mortaliter qui tanta ignorantia vel errore laborant ut formas essentielles consecrationis non norint, aut ex contemptu, negligentia, vel mentis evagatione illas adhibere non curant.

3. Peccant mortaliter qui cum præ senectute vel alia de causa ita oculis calligant ut rite legere & ad materias Sacramentorum advertere non possint nihilominus celebrant.

4. Peccant mortaliter qui non dant operam ut virtualement saltem intentionem habeant in celebratione missæ, & ij nefandissime qui ex malitia intentionem habere nolunt.

5. Qui celebrant in statu peccati mortalis non præmissa confessione, vel contritione, saltem existimata.

6. Qui non jejuni celebrare præsumunt.

7. Sa-

7. Sacerdos ignorans partem aliquam essentialem missæ, si ad celebrationem accedat peccatum mortale committit: Si autem illam partem omittat sacrilegij crimen incurrit, quia de facto mutilum facit sacrificium.

8. Qui omittit aliquam notabilem partem Ceremoniarum integrantium Sacrificij celebrationem ab Ecclesia institutam, peccat mortaliter, censetur autem pars notabilis, si quis Epistolam totam cum Graduali & alleluja omitteret vel oblationem aut aliquam portionem canonis.

9. Qui accidentalem Cæremoniam, ut genuflectiones, girationem aut elevationem manus ignorat aut omittit, secluso scandalo venialiter tantum peccat.

10. Peccant Sacerdotes: qui non tantum negligunt sacras cæremonias, sed Histrionum more pro libitu, gestus & modos sibi fingunt, vel ab alijs effectos efformant.

11. Peccant qui novos ritus introducunt ex quibus indebiti cultus, aut falsi, vel superstitiosi in Missa inducuntur, dum di-

versa signa aut orationes Sacerdotes immiscet, reliqua peccata habent cum Clericis & alijs communia de quibus suis locis dicemus.

TITVLVS NONVS.

De Diaconis illorum obligatione & peccatis.

Articulus Primus.

De materia forma & officijs Diaconatus.

I. **D**uplex in Pontificali exprimitur signum, quo Episcopus uti solet in ordinatione Diaconi: prius est, quod fit impositione dexteræ manus super Caput Ordinandi, cum hac verborum forma: accipe Spiritum S. & robur ad resistendum Diabolo ac tentationibus ejus in nomine Domini: posterius est: traditio libri Evangeliorum, cum hac verborum forma: accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Domini: Amen.

2. Utraque vero hæc actio tam impositionis manus quam traditionis libri Evangelio-

geliorem, pertinet ad materiam essentialem & adæquatam Ordinationis Diaconi, etsi traditio libri Evangeliorum non fuerit semper in isto individuo & singulari signo expressa, Christus enim in institutione Sacramenti Ordinis, materiam illius ita instituit, ut eam in singulari non determinaverit, relinquens determinationem Ecclesie suæ, quæ successivis temporibus illam magis determinavit, ut nimirum per impositionem manuum conferatur gratia ad sacra Ministeria: per traditionem vero libri Evangeliorum, gratia ad legendum ac explicandum, imo de mandato Sacerdotis prædicandum Evangelium.

3. Officia Diaconi sunt sequentia. 1. Sacerdoti celebranti singularibus ministerijs assistere. 2. Evangelium in missa legere illudq; ex commissione Sacerdotis populo annuntiare. 3. Sanguinis poculum credentibus distribuere cum in primitiva Ecclesia sub utraque specie fideles communicabant. 4. Baptizare: quod tamen ita competit Diacono, ut non nisi ex commissione Pastoris aut Sacerdotis, etiam casu urgen-

te, possit absque peccato mortali solemniter Baptizare. 5. Catechumenos instruere in fidei rudimentis. 6. Temporalibus Ecclesiarum bonis ac Eleemosynarum distributionibus invigilare. 7. Populum in Sacris catibus certis signis ad Deum movere. 8. Invigilare infirmis & peregrinis.

Articulus Secundus.

De peccatis Diaconorum.

Obligaciones Diaconorum desumuntur ex 1. ad Timoth. 3. & sunt sequentes: obligantur ad castitatem, sobrietatem, scientiam mysteriorum fidei, puritatem conscientiae in Ministerio, bonam famam, fidelitatem, & integritatem ab omni avaritiae studio ex quibus deducuntur sequentia peccata.

1. Peccat qui Bigamus est & se in Diaconum Ordinari permittit, ante Dispensationem mortaliter & irregularitatem novam ex delicto incurrit.

2. Omne peccatum mortale, cogitatione verbo, & opere à Diacono post Ordinationem commissum contra castita-

tem

tem Sacrilegium est. Item scurrilitates levitates, & insolentię nonnullę, in materia carnis à Diacono excitatę, etsi forte in se peccata mortalia non essent, ratione tamen Ordinis ob scandalum datum, mortalia fieri possent.

3. Peccata quę Ministerium spectant & ex intemperantia oriuntur sunt, indilpositio, ineptitudo mentis & corporis, irreverentia in sacris mysterijs, quę contingit ex nimio potu nocturno diurnove, & commestationibus.

4. Peccata quę respiciunt aliorum offensam, sunt scandalum pusillorum, exempla mala, contemptus personarum Ecclesiasticarum.

5. Diaconus qui culpabiliter ignorat Dogmata fidei & necessaria ad suum Ministerium, sive spectent ad substantiam officij sui, sive ad principales cęremonias quoties ministrat peccat moraliter.

6. Diaconus exercens actum Ordinis sui in peccato mortali peccat mortaliter.

TITVLVS DECIMVS.

De Subdiaconis.

Articulus Primus.

*De materia forma & obligationibus
Subdiaconatus.*

1. **P**Ræcisa materia Subdiaconatus est: Porrectio calicis vacui cum patena vacua, porrigente ea Episcopo & Ordinādo illa tangente. Ita communiter antiqua concilia Patres, & Theologi. Materia vero secundaria, porrectio Urceolorum, Manutergij, &c. concomitantem actum Subdiaconi designat, qui est porrigere urceolos, ad vinum & aquam infundendam calici, porrectio vero libri Epistolarum, insinuat potestatem posteriorem Subdiaconatu, & ex consuetudine Ecclesiæ illi adjuncta est, pertinebat enim olim ad Diaconum legere Epistolam. Forma vero præcisa, sunt verba Episcopi in porrectione calicis vacui & patenæ vacuæ: videte cuius Ministerium vobis tradatur.

2. Sūnt etiam tres Subdiaconorum obligatio-

ligationes, quarum transgressio in materia gravi est peccatum mortale. 1. Continentia ex voto proveniens, unde peccata incontinentiæ, sive in cogitationibus ac delectationibus morosis, sive in verbis obscænis, sive in tactibus consistant, ad Sacrilegij culpas pertinent.

2. Est puritas mentis & corporis in Ministerio: puritas mentis in hoc consistit, ut nimirum ab omni affectu actuali ad mortale peccatum, tempore Ministerij sint averti, cum aliqua conversione ad Deum. Puritas enim corporis requiritur, ut nimirum cum munditia corporali sacra vasa tangant & altari deserviant, unde non excusandi à peccato mortali, qui pleni sordibus Crapulæ, Luxuriæ, se sacris ingerunt.

3. Est lectio Horarum Canonicarum: de qua & de peccatis illam obligationem concernentibus videnda sunt quæ diximus de Canonicis.

3. Initiati majoribus Ordinibus ad cælibatum perpetuo servandum non tenentur jure divino, sed præceptum de continentiâ servanda ab ijs qui in majoribus ordinibus

dinibus

ordinibus constituti, pro diversitate nationum, temporum, eventuum, & aliarum circumstantiarum varie immutatum fuit, & in eo quidem nonnunquam dispensatum, alias etiam præceptum rigerosius impositum: & demum præcepto de continentia, votum solemne castitatis in ipsa ordinatione implicite emittendum, ex instituto Ecclesiæ est annexum, ut quæstio omnis evitaretur, & omnes se illi voluntarie astringerent. Et ex inde continentia Ordinibus sacris annexa obligat ordinatum, sub ratione veri & realis voti solemniter castitatis etsi impliciti. Dicitur (*sub ratione voti veri & realis*) ad excludendum nudum præceptum Ecclesiæ, aut conditionem ordini annexam: hæc enim continentia modo perpetua est, ex libera voluntate Ordinandi proveniens, famulatus perpetuo Dei in sacris Ministerijs, non ut conditio, sed ut qualitas absoluta, statum constituens, annexa. Ab hujus tamen voti obligatione, excusat ignorantia quæcunque facti, sive ordinationis, ignorantia enim facti tollit omnem libertatem; ignorantia

vero

vero voti annexi Ordini sacro, si sit invincibilis, in foro Conscientiæ excusat ab obligatione voti: non tamen in foro externo: item metus gravis cadens in constantem virum injuste incussus, excusat ab obligatione voti, item qui dolo vel fraude ad majores Ordines inductus est, ita ut fraus & dolus, libertatem veram ad votum requisitam sustulerint, ad votum continentiae non tenetur.

TITVLVS VNDECIMVS.
*De Beneficiatis, Beneficiis ac
Simonia.*

Articulus Primus,

Quid & quomplex sit Beneficium.

- I. **B**eneficium est jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis; propter aliquod officium spirituale, auctoritate Ecclesiæ constitutum. Dicitur (*jus perpetuum*) ut excludatur vicaria temporalis aut deservitura Beneficij ad beneplacitum Episcopi. Dicitur (*percipiendi fructus*) bona enim immobilia Ecclesiæ

fiæ in jus beneficiatorum non cedunt, nec ab illis alienari propria auctoritate possunt. Dicitur (*propter aliquod officium spirituale*) ut est, cura animarum, missæ celebratio, horarum Canoniarum recitatio. Dicitur (*auctoritate Ecclesiæ constitutum*) si enim laica Auctoritate constituatur, & auctoritas Ecclesiastica legitime non interueniat, Beneficium non erit.

2. Beneficium tale Ecclesiasticum prout in natura sua consideratur duplex est. Nimirum: simplex & duplex. Simplicia beneficia dicuntur: quæ præter obligationem ad Horas Canonicas & divina Officia, nullam aliam curam ex vi beneficii annexam habent, ut sunt: Canonicatus, Capellanix, Sacella, Altaria. Duplicia beneficia sunt: quæ ad Horas Canonicas & divina officia obligant, & ex vi beneficii curam animarum, vel etiam dignitatem annexam habent. Ut sunt: Episcopatus, Præpositura, Decanatus, Archidiaconatus, Pastoratus.

3. Similia vero Beneficia septem fere modis acquiri possunt: Patronorum præ-

senta-

sentatione, legitimorum superiorum institutione, Electione, postulatione, collatione, resignatione, permutatione. Præsentatio nihil aliud est: quam oblatio personæ per illum cui jus patronatus competit, facta ei ad quem institutio pertinet. Jus vero patronatus, est jus præsentandi personam idoneam ad beneficium Ecclesiasticum vacans. Institutio: est concessio Beneficij, legitime præsentato à patrono, ab Episcopo sive de ejus auctoritate, vel alio ad hoc potestatem habente facta. Electio: est alicujus personæ ad Ecclesiam pastore destitutam Canonice facta provisio, & hæc maxime contingit in prælaturis & dignitatibus. Collatio: est concessio beneficij vacantis liberaliter ab auctoritatem habente facta. Resignatio: est libera Beneficij seu juris in Beneficio dimissio, coram superiore legitime facta, ut alteri absolute concedatur, quæ autem conditiones ad resignationem legitimam requirantur, de hoc vide Canonistas. Permutatio, est mutua & reciproca resignatio Beneficiorum, inter personas capaces libere & legitime facta,

facta, interveniente auctoritate Ordinarij, ac consensu personarum interesse habentium.

Articulus Secundus.

An aliquis plura Beneficia simul obtinere possit.

1. **R**egulariter nemo potest possidere aut obtinere legitime duo Beneficia, quorum unum sufficit ad congruam sustentationem. Quia contradicit fini fundationum, privat Ecclesiam numero Ministrorum, defraudat voluntatem testatorum, spoliatur vivos ac defunctos, pluralitate precum & suffragiorum.

2. Nec ulli suffragatur Dispensatio etiam pontificia ad possidendum plura simul beneficia, nisi ex causis subsequentibus vere procedat. 1. Ob congruam & decentem suo statui ac Ministerio sustentationem. 2. Quando unum beneficium dependet ab altero sive alteri est unitum. 3. Ob raritatem personarum Ecclesiasticarum, ita ut necessitas postulet ut unus plurimum Ecclesiarum etiam curatarum accipiat curam.

ram. 4. Quando beneficium dignitati alicui est conjunctum, ut Canonatus pastore ratui. 5. Magna & gravis utilitas Ecclesiæ, ut cum filijs Regum & Principum Beneficia conferuntur, ut Ecclesiæ conserventur, Hæreses propulsentur. Ex his causis dispensat Ecclesia & aliter concessæ dispensationes, subreptitiæ habendæ sunt, nec in foro conscientiæ sunt tutæ, quantumvis summi pontificis auctoritatem præ se ferant.

3. A Beneficijs Ecclesiasticis ob triplices causas homines excluduntur. 1. Ob omnimodam incapacitatem. 2. Ob inidoneitatem. 3. Quia indigni sunt, incapaces in Ecclesia Dei censentur jure naturali, mulieres sive sexus fæmineus, Hermophroditi prævalente sexu fæmineo, mutilati aliquo membro ad Beneficij executionem necessario, amentes &c. jure Canonico: hermophroditi prævalente sexu virili, Matrimonio juncti, non Clerici, Hæretici, actu excommunicati, irregulares, defectū natalium patientes, qui tamen ad simplicia beneficia dispensante Episcopo promoveri possunt, non tamen ad curata vel dignitates.

tates. Inidonei sunt : qui ijs qualitatibus carent, quæ ad eorum Ministerium necessariae sunt : ætas, scientia, mores, &c. Indigni dicuntur : qui etsi beneficij capaces sint, & ad illa aliquam idoneitatem habeant, illam tamen eminentiam in qualitatibus non habent, quæ in perfecte beneficium administrante requiritur V. G. Joannes vir ætate maturus moribus probatus, doctrina sufficiente præditus, si infamia infecti generis aut delictorum juventutis laborat, ob defectum talem censetur indignus, & consequenter censentur indigni, qui qualitatibus requisitis carent quæ referuntur decem : 1. Thorus legitimus. 2. Clericatus vel Ordo. 3. Ætas requisita. 4. Cælibatus. 5. Immunitas à Censuris & pænis. 6. Probitas vitæ. 7. Scientia debita. 8. Carentia vitij corporei. 9. Intentio Ecclesiasticum statum retinendi. 10. Carentia prioris Beneficij incompatibilis.

Articulus Tertius.

De peccatis in Beneficiorum adeptione.

I. **P**Eccant mortaliter in Beneficiorum adeptione, & nec beneficium, nec

fructus faciunt suos, ac in conscientia tenentur illa dimittere, qui necessaria aliqua qualitate, jure naturali vel Canonico requisita carent.

2. Qui legitimo Thoro nati non sunt nisi prius fuerit cum eis dispensatum.

3. Qui primam tonsuram non habent, aut non habent Ordinem ad Beneficium requisitum.

4. Qui etatem requisitam non habent, juxta rationem Beneficij: ad simplex enim requiritur etas 14. annorum, ad dignitates autem & alia quæ curam animarum habent 25. annorum, ad dignitates vero personatus absque cura animarum 22. annorum ad Episcopatum 30. annorum.

5. Qui Matrimonio juncti sunt, aut adepti Beneficio junguntur, beneficium acquirentes vel in Matrimonio retinentes peccant mortaliter & reddere tenentur.

6. Qui cum sint Hæretici, Excommunicati, irregulares, beneficijs se intrudunt.

7. Qui cum sint vitæ dissolutæ, infamis. Permittunt se ad beneficia promoveri.

8. Qui absq; debita scientia beneficiū sunt adepti.

9. Qui

9. Qui cum corporeo vitio sint inhabiles, permittunt se ad beneficia promoveri.

10. Qui veram intentionem beneficia Ecclesiastica retinendi non habent, sed illa ex proposito acquirunt, donec uxorem divitem inveniant vel alius eis stat^o occurrat.

11. Qui beneficium acquirit incompatible retento primo.

12. Peccant mortaliter collatores, presentatores, institutores, qui scienter indignis beneficia conferunt aut eos presentant vel instituunt.

13. Peccant mortaliter qui beneficia retinent mala fide & injuste, etsi titulo aliquo colorato, improbabili tamen & ficto.

14. Peccant mortaliter qui in re gravi obligationes beneficij transgrediuntur.

15. Qui horas canonicas non legunt,

16. Qui in loco beneficij ad residentiam obligantis non resident.

17. Qui obligati ad missas, illas persolvere non procurant.

18. Peccant mortaliter qui in adeptione Beneficij peccaverunt, & forte pœnas & censuras incurrerunt, si statim ubi patet

via

via sibi non procurent absolutionem vel dispensationem.

Articulus Quartus.

De Simonia.

1. **S**imoniam antiqui sic definierunt, quod sit studiosa voluntas vendendi vel emendi spiritualia vel spiritualibus annexa, pretio vel quasi pretio temporali. Dicitur (studiosa voluntas) quæ est voluntas absoluta acquirendi sibi aliquod spirituale vel quasi spirituale, cum intentione adhibendi media emptionis vel venditionis, aut similis contractus illiciti, ut de facto acquirat. Signa vero istius voluntatis sunt, 1. Si deliberate ruminet & conetur invenire media illicita ad finem, 2. si etiam remota quædam adhibeat. 3. Si generalibus nutibus, signis, verbis, aliquas tertias personas ad emptionem vel venditionem sollicitet. Sub terminis (vendendi vel emendi) comprehenditur, omnis contractus non gratuitus, sive sit permutatio, sive locatio, sive cambium, sive reciproca exhibitio rei temporalis pro spiri-
I tuali,

tuali, quocunque tandem nomine vocetur, modo pactum saltem implicitum, directum sive indirectum intercedat.

2. Res quasi spiritualis dicitur: quæ etsi in se corporea sit & sensibilis, spiritualem habet effectum. Annexum vero spirituali dicitur, quod quamvis ex se temporale sit, ratione tamen rei spiritualis cui conjunctum est, spiritualis rationem obtinet: Sic beneficium etsi in perceptione bonorum temporalium materialiter consistat, quia tamen Clerico datur propter Ministerium spirituale: spiritualis rei rationem inducit. Pretium temporale vel quasi pretium dicitur: pecunia, vel quidquid pecunia æstimari solet, & in pretium ac contractum deduci, sive pretium illud sit à manu, à lingua, vel ab obsequio.

3. Ex quo sequitur primo: quod quancumque aliquis præstat rem aliquam temporalem vel quæ pretio aliquo temporali æstimari potest: sive à manu, sive à lingua, sive ab obsequio, cum obligatione vel quasi obligatione, ut ei spirituale aliquod, velut ex pacto implicito vel explici-

tore

to rependatur. Simonia est : & qui similibus circumstantiis pretium vel quasi pretium temporale , pro re spirituali vel quasi spirituali, sive spirituali annexa recipit, Simoniam committit & pœnas juris incurrit.

4. Secundo iniquitas actus Simoniaci fundatur in irreverentia & impia tractatione rei sacrae, ex eo quod res spiritualis ordinis, pecunia & re temporali æstimetur, & profanis contractibus subjiciatur. Hanc rationem expressit Petrus Actor. 8. v. 20. Pecunia (inquit) tua tecum sit in perditionem quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.

5. Tertio non licet dare vel recipere aliquid temporale pro beneficio, quantumvis donatione gratuita, si sit donatio reciproca vel relativa, quia tales donationes diminuunt per se rationem gratuiti, & includunt quoddam pactum virtuale saltem retributionis.

6. Pœnas Simoniaë in Ordinum collatione vel susceptione incurrit: 1. Conferens Simoniacæ: & hic est excommunicatus;

tus; item suspensus à collatione cuiusvis ordinis ac primæ tonsuræ, suspenditur etiam ab executione omnium Pontificaliū, Demum interdicitur illi ingressus Ecclesiæ: & si suspensionem vel interdictum transgressus fuerit, iterum suspenditur ab administratione suæ Ecclesiæ, & perceptione fructuum suorum. 2. Qui ordinem aliquem Simoniace suscipit: & talis est excommunicatus: Et ab executione ordinum suspenditur per decennium, cum pænna carceris per annum.

7. Pænas Simonix in beneficiis incurrunr: Primo Collatores, Patroni, Institutores, Electores, Nominatores, qui quovis modo Simoniace aliquem ad Beneficia Ecclesiastica promovent, & sunt excommunicati, item qui procurant, quærunt, consentiunt, sive etiam scienter permittunt, se ad aliquod beneficium promoveri Simoniace, præter hoc quod excommunicati sint, collatio sive provisio est nulla, nec ullum jus tribuit; sive ad beneficium sive ad fructus. Deinde qui Simoniace promovetur, inhabilis fit ad idem Beneficium
 obti-

obtinendum, & parentes, amici, & omnes qui cooperantur, ut beneficium Simoniacè impetretur, incurrunt Excommunicationem: Plura de hac materia inveniet lector in Tribunali Maschan. Tom. 3. f. 236.

TITVLVS XII.

De quatuor ordinibus Minoribus.

I. **O**stiarius est ordo per quem potestas Clerico datur dignos in Ecclesiam admittendi, indignos arcendi, sacras ædes & suppellectilem conservandi: illius materia remota, sunt claves, proxima vero, earum traditio. Et forma: sic age quasi Deo rationem redditurus, quod vero ad aperienda vel claudenda ostia & campanas pulsandas ducuntur, symbolum est eorum quæ ad officium spectant, & ad cæremonias accidentales potius pertinent, quam ad primariam materiam vel formam.

2. Lectoratus est ordo in cuius collatione potestas Spiritualis ordinato tribuitur, ad legendum populo publice vetus & novum Testamentum: illius materia proxima est traditio codicis, in quo lectiones

utriusque Scripturæ continentur. Forma autem: accipite & estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter & utiliter impleveritis, partem cum ijs qui verbum Dei bene ministrarunt ab initio.

Exorcistarum ordo dicitur: in cuius collatione potestas spiritualis ad Dæmones abigendos, eorumq; opera dissolvenda, signo sacramentali ordinando traditur. Porro materia proxima hujus ordinis est: traditio libri Exorcismorum: forma vero: accipe & commenda memoriæ, & habetopotestatem imponendi manus super energumenum, sive Baptizatum sive Cathechumenum. Exorcista vero aut alius quilibet qui consulitur, non facile credat aut judicet personam maxime mulierem obsessam, sed det multum tempori, diuque deliberet adhibita oratione & sacrificijs. Et quamvis horrenda accidant, quantum fieri potest non ostendat foris se moveri, sed sedato spiritu ac corporis actione procedat. Neque procedat cito ad Exorcismos, sed prius probet Exorzizandum per confessionem peccatorum, orationem, jejunia,

junia, & austeritates, adhibeat sacra amuleta ut partem corporalis, reliquias sacras, & attendat quid ex iis sequatur, si autem credat exorcismos adhibēdos, non adhibeat alios, quam qui ab Ecclesia sunt approbati. Insuper ijs quæ energumēni dicunt, vel non credat, vel suspendat iudicium, nec facile aliis referat, nisi prudentibus quorum consilium expectat.

4. Acolythorum ordo est: potestas spiritualis per signum Sacramentale clerico collata, ad sacra luminaria accendenda & præparandam sacrificij materiam, hujus ordinis materia proxima juxta duplex Ministerium, duplex est: Porrectio candelabri cum candela extincta, & urceolorum vacuorum, deinde sicut materia hujus ordinis duplex, ita & forma: in porrectione candelabri utitur Episcopus hac forma: accipe Ceroferarium cum Cereo, ut scias te ad accendenda luminaria mancipari: in porrectione vero Urceolorum sequens forma usurpatur: accipe urceolos ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam sanguinis Christi in nomine Domini.

TITVLVS XIII.

De clericatus Natura.

Articulus Vnicus.

Quis dicatur Clericus.

1. **C**Lericus proprie dicitur, qui signaculo tonsuræ, ab Ecclesia instituto insignitus, in sortem Dei est designatus, ad officia, Ministeria, gradus & ordines assumendos. Tonsura vero est levis detonsio capitis ab Episcopo cæremonijs Ecclesiasticis facta, qua masculus Tyrocinio Ministeriorum Dei initiatur. Significat autem tonsura Clericalis, puritatem vitæ & abjectionem rerum sæcularium. Familij vero Dei & devoti animi ac mortificationis Christi Jesu symbolum est: Ritus Tonsuræ ut modo confertur consistit in quinque partita capillorum, detonsione, nimirum: in vertice, in occipite, in concipite & super aurem utramque, per modum utique crucis cujus mortificationem assumit.

2. Ex parte suscipientis primam tonsuram:

ram: Quinque potissimum conditiones requiruntur. 1. Ut Sacramentum confirmationis receperit. 2. Ut fidei rudimenta norit. 3. Ut legere & scribere sciat. 4. Ut non suscipiat iudicis sæcularis fugiendi causa. 5. Ut genus hoc vitæ eligat & Deo fidelem cultum præstet: nam qui de obligatione sua sufficienter instructus, absque vero animo Clericatus tonsuram suscipit, juxta qualitatem obligationis peccat mortaliter, & à Clericatus privilegiis & ulterioribus promotionibus, manente animo averso, tenetur abstinere.

3. Privilegia Clericorum sunt potissimum quatuor. 1. Immunitas ab omni externa violentia, ut habetur, cap. si quis sua-dente Diabolo, vocaturque privilegium Canonis, 2. Privilegium fori, ratione cujus à iudice sæculari eximuntur & coram illo conveniri non possint. 3. Exemptio à Gabellis principum sæcularium. 4. Capacitas ad beneficia Ecclesiastica, & his privilegijs omnes Clerici à prima tonsura suscepta gaudent, si observent conditiones à Canonibus & specialiter à Concil. Trid. requi-

requisitas. Nimirum : ut aut beneficium Ecclesiasticum habeant, aut clericalem habitum & tonsuram deferentes, Altari Ecclesiæ ex mandato Episcopi deserviant, vel in seminario Clericorum aut aliqua schola vel universitate de licentia Episcopi, quasi in via ad suscipiendos majores ordines versentur.

4. Clericus vero primæ tonsuræ ad nihil tenetur simpliciter, quia Clericatus potest renuntiare, unde omnia præcepta quæ in sacris Canonibus leguntur data Clericis intelligi debent, de ijs qui Clericalem statum in privilegijs profiteri volunt.

TITVLVS XIV.

De Obligatione hominis Christiani.

Articulus Primus,

Ad quid obligetur homo ex natura sua.

I. **H**omo ex natura sua obligatur ad Deum tanquam ad ultimum suum finem naturalem (quamvis supernaturali virtute) acquirendum. Ratio est: quia Deus creavit

creavit hominem, & secundum imaginem suam fecit eum: ad imaginem autem Dei creari, est creari æternæ Beatitudinis capacem, & ad æternam beatitudinem quæ De⁹ est aspirantem, ita S. August: lib. de Nat. bon. cap. 7. ubi sic ait: *In rebus à Deo factis tantum bonum est natura rationalis, ut nullum sit bonum quo beata sit, nisi Deus.* Ex quo infert: Deum hoc ipso quo creavit hominem ad imaginem suam, non potuisse creare nisi capacem æternæ Beatitudinis, nec potuisse homini sic creato, etiam considerato statu puræ naturæ, alium præfigere finem nisi se ipsum, quia hoc est proprium imaginis Dei, tantæ capacitatis esse, ut ente creato satiari non possit. Hinc à patribus Deus nominatus animæ centrū.

2. Obligatur ad omnes leges divinas qua divinx sunt ex natura sua sub peccato mortali vel veniali. Quia, sive præceptū sive prohibitionem includant, regulam aliquam primæ veritatis continent cum obligatione: omnis autem obliquitas, quatenus à prima veritate recedit, in materia præcepti, est peccatum: principia vero

primæ veritatis per modum præcepti sub obligatione indicta, legem faciunt divinam vel æternam.

3. Porro lex Divina est: quæ à Deo vel Dei auctoritate indicitur, dirigens per se hominem ad beatitudinem sub obligatione debiti spiritualis, & pænæ in foro Dei. Dividitur vero primo: in Divinam æternam: quæ est ipsemet Deus: & Divinam temporalem: quæ à Deo in tempore indita vel posita est. Secundo dividitur in Divinam Naturalem: quæ à Deo humane rationi est indita, regulans actiones ejus in ordine ad Beatitudinem æternam, & ex Dei voluntate obligans hominem ad sui sequelam in foro Dei, sub debito reatus à transgressore incurrendi. In positivam: quæ à Deo præter legem naturalem homini ponitur, in ordine ad finem supernaturalem, per inspirationem, verbum, scripturam, vel traditionem. Lex vero Divina naturalis, subdividitur in sacram, moralem, & politicam, sacra est: quam Deus homini à principio indidit ad cultum Dei: Moralis est: quæ hominem in moribus dirigit pro
ut ad

ut ad æternam Beatitudinem est creatus. Politica est: quæ hominem ut est animal sociale dirigit, quatenus societas illa ordinatur ad charitatem & Deum.

Articulus Secundus.

De hominis Baptizati obligatione.

I. **H**omo ex vi Baptismi ad tria obligatur, quæ in Baptismo triplici pacto Deo & Christo promisit. Ita censuerunt communiter patres & Concilia, dum pacta illa titulo juramenti exprimunt: Pactum primum est: quo Baptizandus abrenunciat Sathanæ & omnibus operibus ac pompis ejus. Secundum est: quo profiteatur, se credere fidei articulos. Tertium in illis virtute contentum est: quo profitetur vitam Christianam, per bona opera juxta mandata Christi & Ecclesiæ observare, harum promissionum meminit *Orig. hom. 12. in Num. recordetur unusquisq; fidelium, cum primum venit ad aquas Baptismi, quibus ibi tunc usus sit verbis, & quid denuntiaverit Diabolo, non se usurum pompis ejus, neq; operibus, neq; omnino servitijs ejus ac voluptatibus pariturum.* 2. Vi-

2. Vi-

2. Vigore vero hujus ab renuntiationis Sathanæ, etiam nullo alio præcepto interveniente, omnis homo Baptizatus tenetur vitare diabolum & quidquid Diaboli est, in omni superstitione, observantia vana, Magia, incantationibus, veneficijs, remedijs superstitionis, & in omni quod aliquo modo ad Dæmonem spectat, quia est simpliciter & absolute contra pactum in Baptismo initum.

3. Ex dictis patet quid dicendum sit de laribus, lemurib⁹, lamaijs, seu daemonijs domesticis, & de eorum servitijs, etiam in utilitatem domesticam. Constat enim ad propagationem veræ fidei, virtute Crucis mundo excessisse, & si qui modo reperiantur, id tepidæ fidei, infidelitati, Hæresi, & Atheismo imputandum est, uti autem illorum Ministerijs, quovis modo peccatum mortale est.

4. Per opera vero Diaboli, intelliguntur opera carnis, quæ sunt Homicidia, fornicationes, adulteria, & his similia, quæ prius Diabolico instinctu, cogitatione mentis quam opere perpetrantur. Sunt quo-

quoque alia quæ singulari opere Diaboli complentur, talia sunt: quæ cum incubis, & succubis Dæmonibus multi committunt: talia sunt: horribiles immunditiæ, quæ nullam de se carnis delectationem habent, ab ipsis tamen luxuriosis Diabolica malitia committuntur: nec minora sunt, ad quæ Melancholica quædam ingenia impelluntur, quæ visiones, extases, revelationes, diabolica arte confingunt, & hæc omnia sunt opera diaboli & gravissima peccata mortalia.

5. Pompa Diaboli hæc est, quæ & pompa mundi: id est: Ambitio, Arrogantia, vana gloria, & cujuslibet rei superfluitas in humanis usibus, item ad pompam Diaboli spectant: Theatra, circenses, dierum observatio, præfagia & omina, huc etiam referenda quæ de superbia & vanitate hominum referunt scripturæ, in compositione & gesticulationibus corporis, in luxu vestium & ornatus curiositate, in nuditatibus membrorum, & capillaturæ dispositione, in supellectilis superflua multiplicatione, in multitudine equorum, in convivi-
viorum

viorum lascivia, & adificiorum superbia, & quamvis multa ex his interdum innocue fieri possint, certum tamen est, illa ordinarie esse vel incentiva peccati, vel fomenta concupiscentiæ, vel impedimenta salutis.

6. Quando forma vestimenti est excitativa in alio libidinis, talibus vestibus uti, est ex natura sua peccatum mortale, tentat enim per illa Sathanas & ad libidinem inducit, id vero censetur fieri, quando nuditas aliqua magna apparet, ut in ijs quæ pectus apertum gerunt, etiam mammillis ex parte discoopertis, item quando non est plena nuditas, apparentior tamen caro redditur, delicatulo & transparente lino. Idem dicendum de viris, qui ita strictas vestes gerunt, ut partes verecundæ, si non omnino discoopertæ, Secundum tamen aliquam apparentiam pandantur, dicitur: (*ex natura sua peccatum mortale*) potest enim fieri veniale ex parvitate materiæ, quamvis de ornatu fucato, picturis & pigmentis cutis & capillorum, vix quidquam fingi possit, quod ad diaboli pompam non pertineat, talis enim qui fucis faciem suam

deco-

decolorat, Dei imaginem quæ in facie elucet, sacrilego aultu permutare censetur.

Articulus Tertius.

Quam Obligationem inducat professio fidei in Baptismo.

1. **P**rofessio fidei in Baptismo facta, obligat ad fidem Christi in omnibus, tam expressis in sacra scriptura, quam traditis à matre Ecclesia, juxta uniuscujusque capacitatem discendam & confitendam, ac cum vitæ periculo conservandam, sub gravissimo peccato mortali infidelitatis, sive per Apostosiam, sive per Schisma, sive per Hæresim vel per Politicisimum, sive per contemptum, dubium, vel supinam ignorantiam oriatur, ita Christus Marc. 16. *qui crediderit & Baptizatus fuerit salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur.* Singulariter tamen Christianus obligatur; insigniuntur enim omnes Baptizati spirituali caractere, ut obligationis fidei & operum, notam perpetuam deferant, quæ nulla potentia vel libertate aboleatur.

2. Omnes etiam fideles adulti jure divino

vino

vino tenentur sub peccato mortali, præcipua fidei nostræ mysteria, & ea quæ ad salutem spectare dignoscuntur, scire. Non tamen tenetur quis illa memoriter recitare, aut Doctrinaliter explicare, sed sufficit substantiam illorum tenere, aut de ijs agentem intelligere: non enim necesse est ut in sanctissima Trinitate, emanationes Divinas & modos procedendi concipiât: sed sufficit eis unum Deum concipere, & tres personas sub nominibus Patris, & filij, & Spiritus sancti. Et quidem Patrem sub titulo creatoris. Filium sub titulo Dei hominis nati ex virgine Maria, passi, mortui, sepulti. Spiritum sanctum, sub titulo filij qui nos justificat, sanctificat, vivificat.

3. Demum in omni adulto ratione utente requiritur non modo ex præcepto sed etiam necessitate mediij, aliquis actus interior fidei ad salutem, & talem actum fidei tenetur sub peccato mortali, aliquo tempore in vita sua elicere, circa articulos Fidei, quos ei ignorare non licet, talis autem actus est: assensus certus etsi obscurus, quo homo divino lumine illustratus assentitur

titur primæ veritati, & omnibus quæ à prima veritate revelantur, & obligantur omnes adulti, ubi eis explicite articuli fidei sufficienter sunt propositi, sub peccato mortali illis per actum exercitum assentiri & credere. Si vero semel in vita sua non eliciat, speciali peccato incredulitatis condemnatur. Nec possunt Confessarij pœnitentes ignaros & defectuosos in actu credendi absolvere, nisi ab ijs exigant efficax propositum, actum credendi eliciendi & Articulos fidei addiscendi, confessarius aliter talem absolvens peccat mortaliter.

4. Pro simplicium autem solatio Ecclesia instituit signum Sanctæ Crucis, ut per illud articulorum nostræ fidei professionem quilibet Christianus dietim facere posset, nam cum homo se signat, & fronti manum imprimat dicēs, in nomine Patris, fatetur se agnoscere patrem ut caput & fontem totius Divinitatis. Cum manum demittit infra pectus, dicens & filij: filium Dei agnoscit qui pro nobis in uterum virginis descendit. Cum manum reducit à sinistra ad dexteram dicens, & Spiritus S. agno-

agno-

agnoscit tertiam personam, virtute cuius transferimur à sinistra damnationis ad dexteram gratiæ filiorum Dei. In figura autem crucis qua hoc signum formatur, agnoscit Mysteria passionis & mortis Domini: & ita hoc signo instructus Christianus quantumvis simplex, actum credendi & debitam fidei professionem sufficienter exercere censendus est.

Articulus Quartus.

An teneatur homo Christianus vigore professionis fidei vitare infideles.

I. **N**on licet Fideli communicare cum infideli in re quacunque Religionis, nec inire connubia; ideoque quicumque vel eorum ritibus, vel doctrinis ad Religionem spectantibus, communicaverit, vel Matrimonium contraxerit, peccat mortaliter, nisi levitas materię ipsum excuset. Quamvis conversari cum infidelibus, in actionibus civilibus emptionis & venditionis, cessante periculo perversionis, non sit peccatum. Patet ex 2. Cor. 6. v. 6. *qua pars fideli cum infideli, & quis consensit*

sus templo Dei cum idolis. Deut. 7. v. 3. Neque sociabis cum eis conjugia, filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo, quia seducet filium tuum ne sequatur me.

2. Omnis etiam conversatio cum judæis, quæ inducit vel modicum periculi, si-
ve in Fide, si-ve in Observantia præceptorum, si-ve in moribus Christianis. Sub peccato mortali vitanda est, si-ve sit in comertijs, si-ve in alijs communicationibus. Idque ob periculum, quod licet alias leve vel modicum esset, semper tamen grave est in conversatione cum judæis, ob eorum perversitatem, perfidiam, & radicatum odium nominis Christiani, quo fit ut si in uno non noceant, in alio id faciant: etsi forte non sit periculum Fidei, erit periculum transgressionis præceptorum, in usuris, injustitijs, superstitionibus, Magijs, Carnalitatibus, quibus gens illa perfida abundat. Licet etiam cum judæis aliqua mercatura permessa sit, nullatenus tamen permessa est mercatura sacræ supellectilis Ecclesie, ideoque sicut judæis prohibitum est
emere

emere sacram suppellectilem, sic prohibitum est sub peccato mortali aliquid de sacra suppellectile ipsis vendere. Deinde non licet viro Christiano Matrimonium inire cum judæa, etiam sub spe conversionis, nec e contra, quia sacrilegium est & Matrimonium nullum esset.

3. Jure divino naturali prohibitum est sub peccato mortali, Catholico communicare cum Hæretico in ritibus, signis, modis, hæreticis specialibus, & omnis conversatio, ex qua imminet periculum alicujus pravæ Doctrinæ addiscendæ, infectionis, dubitationis, subversionis, tam in materia fidei quam morum. Quia jure Divino naturali, tenetur quis vitare pericula peccati, & perversionis in via salutis.

4. Ex his videant in quæ pericula se præcipitent, qui commertijs cum Hæreticis inescati, eorum mores & modos imbibunt, & si non omnino pervertantur, multas tamen propositiones Hæreticas tanquam probabiles sibi imprimunt, tepidi Christiani fiunt, tandem ad statum quendam politicum imo Atheismum viam sibi

sternunt. Videant qui proles suas ad partes hæreticorum educandas transmittunt, prætextu studiorum, mercaturæ, &c. quod pauci incorrupti redeant.

5. Ex his sequitur quod Fautores, Receptores, Defensores, Hæreticorum in causa Hæresis, jure Divino naturali peccent mortaliter, jure autem Ecclesiastico incurrant Excommunicationem in Bulla cœna Domini expressam, tales enim censentur consentire Hæretico in causa Hæresis, & eorum erroribus favere.

Articulus Quintus.

De obligatione Christiani ad eliciendum actum spei & peccatis ipsi oppositis.

I. **S**pes est virtus supernaturalis Theologica, qua voluntas fertur in Deum quatenus est Beatitudo nostra, & promissionibus Divinis, per auxilia & media ordinata obtinenda, respiciens pro objecto primario Deum, ut est Beatitudo nostra: Secundario vero: promissiones Divinas & media à Deo ordinata ad Beatitudinem consequendam. Continet autem plura in se

se præcepta partialia ad peccatum mortale ex natura sua obligantia. Præceptum enim spei, partim est affirmativum: duo continens sub se præcepta, primum quo præcipit cuilibet Adulto actum spei elicere. Secundum est fugere positive ea quæ Beatitudini repugnant, estque fuga illa effectus timoris filialis, quo quis ex affectu filiali, continet se ab omni peccato: quia peccatum deo displicet. Partim etiam præceptum spei est negativum: duo etiam continens præcepta, alterum prohibens desperationem de salute æterna consequenda: alterum prohibens præsumptionem de Beatitudine.

2. Præceptum vero affirmativum elicendi actum spei, obligat sub peccato mortali: 1. Quotiescunque homo gravi tentatione desperationis affligitur. 2. Quando tenetur per actum contritionis vel attritionis justificari: quia actus spei formaliter vel virtualiter, in contritione vel attritione includitur, debent enim illa junctam habere spem veniæ. 3. Toties tenetur quis virtualiter vel formaliter elicere actum

actum Timoris Domini sub peccato mortali: quoties imminet periculum proximum peccandi. Quia quoties imminet periculum proximum peccandi, toties tenetur homo cavere peccatum, non cavet autem nisi aliquo timore sit perculsus, timor enim ex natura sua, est mali fuga.

3. Desperatio est abjectio voluntaria omnium spei consequendi Beatitudinem, vel media sufficientia ad illam: estque ex natura sua peccatum mortale gravissimum: & si sit ex diffidentia misericordiae Dei, est peccatum contra Spiritum Sanctum. Quia contradicit Bonitati & Misericordiae, quae Spiritui Sancto specialiter appropriantur. Qui vero desperat ex eo quod arbitretur Deum illum salvare non posse aut nolle, aut positive illum absque peccatorum praevisione reprobasse, aut peccata irremissibilia esse, aut suam malitiam Dei gratia vinci non posse; praeter peccatum mortale desperationis, crimen Haereseos incurrit. Omnes enim illae propositiones, sunt Haereticæ & contra fidem. Qui vero ex gravi laborum & tribulationum impatientia, ac desperatione

K

tione

tione divini auxiliij, mortem sibi optat & infert, peccat desperationis peccato mortali, quæ non tantum peccatum mortale est: Sed etiam multorum peccatorum radix & causa: fit enim, quod qui desperat de misericordia Dei, se tradat omnibus peccatis absque ullo fræno, hinc in furta, latrocinia, libidines, horribiles, Homicidia, peccatores devoluuntur, & ut plurimum sibi laqueo, aut aliis modis vitam adimunt. Talis vero desperatio, qua desperat de propria virtute, ex consideratione suæ infirmitatis, peccatorum frequentis lapsus, si divinæ misericordiæ spem non excludat: peccatum non est: Sed frequenter est melioris vitæ incentivum. Fit enim ut homo de se & omnibus viribus suis desperans, in solam Dei Misericordiam animum convertat, cum spe in unum Deum, qui illum salvare potest. Et hæc est vera Christiani hominis spes & sanctissima virtus, quæ hominem salvat.

4. Magna etiam est distinctio inter tentationes Dæmonis & tædia vitæ, tristitias, desolationes extremas, quæ quibusdam

dam accidunt ex atra Bili & humore Melancholico prædominante, unde causantur funestæ imaginationes, quibus sibi mortem inferre proponunt, & etiam aliquando inferunt: tædia enim illa sunt quædam Maniæ & species amentia, & effectus illi ex perturbatione judicij procedunt, unde tales juvandi sunt arte medica, industria & præventionem: & si quandoq; mortem sibi inferant, non desperationi, sed Maniæ, actus ille imputandus est, nisi aliud aliunde constet.

5. Præsumptio pro ut spei opponitur est actus voluntatis proponentis, ad Beatitudinem, peccatorum remissionem, aut alia dona supernaturalia pervenire, absque medijs, ad illa obtinenda à Deo constitutis. Ex quo sequitur; quod quicumq; Adultus præsumit, se absque ullis meritis & propria cooperatione ad Beatitudinem pervenire posse, præsumptionis peccato, mortaliter peccet & Hæreticus sit. Deinde qui credit tantam esse Dei misericordiam, ut quantumcunque peccet, aut in peccato perseveret, modo fidem Catholicam retineat,

neat, tamdiu remissionem peccatorum, virtute suæ fidei recepturum, & infallibiliter salvandum: præsumptionis Divinæ misericordiæ & Hæresis crimen simul incurrit: qui vero auxilium, misericordiam, gratiam vel effectum quemcunq; à Deo certo exspectat medijs inordinatis, exclusis & contemptis medijs Ordinatis, peccat mortaliter & Deum tentare cognoscitur. Deum præsumptio de divina misericordia, quatenus aufert rigorem divinæ justitiæ, vel claudit viam ad gratiam, vel peccato habenas laxat, est peccatum in Spir. S.

Articulus Sextus.

De obligatione Hominis ad Dilectionem Dei & peccatis ipsi oppositis.

I. **D**atur præceptum Charitatis, obligans hominem sub peccato mortali ad amandum Deum, cujus totalis substantia est: ut actus Dilectionis Dei excludat omnem actum contrarium, vero amoris Dei: id est ut nihil supra Deum, nihil æqualiter Deo diligatur, sed voluntas feratur in Deum ut supremum bonum, cui nullum

lum æquale est. Tribus vero temporibus tenetur homo talem actum dilectionis sub peccato mortali elicere: Primo in initio morali usus rationis, idest quando immediate modo incipit esse capax offendendi Deum mortaliter. Secundo in Articulo vel periculo mortis. Tertio, toties obligatur elicere actum amoris Dei super omnia, quoties tenetur conteri, aut vincere gravem tentationem; aut quando tale opus exercendum est: quod actum amoris Dei super omnia requirit, ut sunt opera ardua quæ sine amore Dei impleri vix possunt.

2. Ex his colligitur quadrupliciter hominem dici diligere Deum. 1. Formaliter: cum actum formalem dilectionis Dei elicit. 2. Virtualiter: quando actus & opera sua in Deum ut finem ultimum dirigit. 3. Interpretative: quando mandata Dei & opera ijs correspondentia exercet. 4. Negative: quia nihil facit quod Deum offendere possit.

3. Omnis autem actus odij vel pravæ affectionis in Deum & Christum, sive in corde interius, sive verbis vel signis mani-

festetur exterius: item omnis Blasphemia, execratio, maledictio, pro ut ex affectu pravo in Deum procedunt, sunt peccata mortalia contra præceptum Dilectionis Dei. Amori enim Dei, è diametro opponitur odium Dei, & Blasphemia.

Articulus Septimus.

De obligatione Hominis ad Dilectionem proximi & peccatis oppositis.

I. **D**ilectionis proximi præceptum fundatur in verbis Christi, *diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Hic autem finis charitatis in omni dilectione meritoria servari debet, ut homo Deum propter se ipsum, se autem & proximum propter Deum diligat. Et quamvis nullum sit præceptum de amore sui ipsius, tamen est ut mensura dilectionis proximi, quam mensuram indicant illa axiomata naturæ à principio insita; quod tibi non vis fieri alteri ne feceris: & omnia quæcunq; vultis ut faciant vobis homines & vos facite illis. Hoc autem præceptum partim est negativum, partim affirmativum: negativum est quatenus prohibet

hibet odium & omne nocumentum proximi. Affirmativum est quatenus præcipit formalem dilectionem, quæ in tribus consistit. 1. Nec malum velle, nec malum inferre proximo : 2. Benevelle & benefacere illi : 3. Quantum in nobis est omne nocumentum ab illo propulsare.

2. Quicumque odio proximum ita prosequitur, ut ei malum velit, optando vel gaudendo quando evenit, aut directe inferendo, in re gravi peccat mortaliter hoc patet ex 1. Jois 3. *Qui odit fratrem suum homicida est, & scitis quoniam omnis Homicida non habet vitam æternam in se manentem.* Licet tamen interdum optare alicui malum, ex solo affectu justitiæ, in odium non hominis sed peccati ipsius : sed hoc cum cautela fieri debet, ne sub titulo pietatis, animus male affectus, impietati habenas laxet.

3. Omnis homo tenetur benefacere proximo, & in casu necessitatis debitæ circumstantionatæ non benefacere, in materia gravi, peccatum mortale est, nam verbum diliges, non modo affectum, sed cum affectu effectum requirit. Necessitas autem

vera est: quando homo subsidio alieno indiget, ad vitam sive spirituales, sive corporales, sive morales & civilem, per quam intelligitur fama & honor conservanda.

4. Inimico etiam in inimicitia perseveranti, tenetur quis ex corde injuriam remittere, deponendo omnem rancorem, ita ut nec liceat ipsi in bonis spiritualibus male velle: nec in temporalibus detrimentum optare. Patet Matth. 5. *Diligite inimicos vestros & benefacite his qui oderunt vos.* Non tenetur tamen illi remittere actionem injuriarum, sed potest dimisso omni rancore justam satisfactionem, secundum jura & juris modos exigere.

5. Tenetur quilibet quantumvis inimico signa communia Charitatis exhibere, nisi illa in grave nocumentum. Sui ipsius, inimici, vel tertiæ personæ cederent. Hæc signa sunt: salutantem salutare, loquenti respondere, vendere merces postulanti: particularia sunt: colloquium familiare, auxilium speciale, munerum oblatio: quæ non semper obligamur præstare inimico, quamvis interdum ratione gravis necessi-

tatis

tatis aliquod horum inimico exhibere te-
neamur.

6. Quicumque proximi etiam inimici
injustum malum non impedit, quando abs-
que gravi detrimento effective impedire
potest, in re gravi mortaliter peccat. Quia
Eccles. 17. v. 12. *Deus mandavit illis unicui-
que de proximo suo.*

Articulus Octavus.

*De obligatione Hominis ad actus, à cultu
Religionis procedentes.*

I. **C**ultus pro ut procedit à virtute Re-
ligionis duplex est: Nimirum: in-
terior tantum, & interior & exterior simul.
Cultus interior tantum est: qui nullis ex-
terioribus signis manifestatur, tales actus
sunt omnes affectus interni, qui ad colen-
dum Deum referuntur. Cultus interior &
exterior simul est: qui non tantum inter-
nis, sed etiam externis signis ostenditur: ut
sunt sacrificia, orationes, genuflectiones;
tres vero potissimum actus virtutis Reli-
gionis assignantur, suntque: Oratio: Sacri-
ficium, sacrae observationes.

2. Oratio autem proprie dicta est: actus virtutis Religionis quo homo deo se subiectum agnoscens, ei pro bono aliquo impetrando fit supplex. Ratio hujus patet in Oratione dominica, in qua cum dicitur Pater noster: Reverentia ad deum exprimitur, in eo enim quod patrem nominamus, deum principium nostri & omnis boni auctorem agnoscimus: dum dicimus dimitte nobis debita nostra: petimus supplices curationem morborum animæ, & liberari à malo & damnatione externa.

3. Oratio vero non tantum est homini utilis, sed etiam generaliter adultis necessaria ad salutem. Quia absque dei gratia, tentationum victoria, dono perseverantiæ, nemo salvari potest. Sed absque oratione illa à deo impetrari non possunt, ergo oratio est necessaria ad salutem.

4. Datur etiam præceptum divinum naturale adultis, orandi deum pro salute & salutaribus donis obtinendis, sub peccato mortali hominem obligans. Quia præcepto divino naturali, tenetur adultus procurare salutem medijs necessarijs, sed oratio

tio est medium ad salutem necessarium, ergo: Sciendum tamen quod nullus modus Orationis sub præceptum cadat, sed sola orationis substantia, neque ullum tempus determinatum est, quo quis omittens orare, censeatur peccare mortaliter. Quamvis aliquo tempore obligetur.

5. Quicumque vero cultum soli Deo debitum Creaturæ veræ vel fictæ exhibet, si-ve metu, adulatione, aut alio simili motivo id faciat. Peccat mortali peccato Idololatriæ, tales fuerunt omnes qui statuis, simulachris, etiam hominibus, divinos honores decreverunt. Item: qui astra, plantas, animalia, Dæmones, angelos pro Dijs habuerunt: dicitur (*qui cultu soli Deo debito*) triplex enim cultus est, nimirum: Cultus Latriæ: qui soli Deo exhibetur propter infinitam ejus excellentiam. Dulia: qui sanctis & Beatis exhibetur propter participatam supernaturalem aliquam excellentiam à deo, quæ in illis est: Hyperdulia: qui exhibetur B. Virgini propter super eminentem quandam excellentiam gratiarum & gloria, quibus super alios sanctos enituit.

6. Quicumque verbo, facto, gestu, scripto, vel quocunq; signo aliquem effectum expectat, qui nullam sequelam vel à natura, vel à Dei ordinatione. immediata vel mediata habet, censetur tali signo, cultum vel honorem aut signum amicitiae, Dæmoni exhibere, cum expresso vel tacito pacto, & mortaliter peccat. Id passim Scripturae docent dum Divinos, Ariolos, Pythones, Magos, incantatores, condemnant. Hic vero cultus qui hujusmodi signis Dæmoni exhibetur, superstitione vocatur, cujus cultus genera, ad quatuor membra reduci possunt, nimirum ad: Divinatoriam, vanam observantiam, Magiam, Maleficium.

7. Superstitio Divinatoria est: qua quis inutilibus medijs futura contingentia libera, vel res per se occultas, vult cognoscere, & tales Divinatores sunt diversi: ut Aruspices, Arioli, Præstigiatores, Sortilegi, Geomantes, Hydromantes, Aeromantes, Astrologi, Judicarij. Insuper divinatoria superstitione damnantur: qui signis, cribri versionibus, observationibus, tentant divinare fures, latrones, sagas, item qui

qui ex signis manuum, bonam aut malam fortunam prædicere: five ex constellationibus nativitatis, vitæ hominis successum indicare præsumunt, & hæc omnia ex suo genere peccata mortalia sunt.

8. Vana observantia dicitur: quæ ex signis inutilibus ad effectus speratos, nihilominus illos infallibiliter expectat. Porro variæ sunt vanæ observantiæ species, nimirum: Ars notoria: per quam, per preces, jejunia, profana & amatoria pocula, & alia signa ac ritus, certo scientiæ alicujus infusio, præter naturæ cursum expectatur, vel observantia sanitatum: dum verbis, signis, scripturis, cæremonijs, & similibus incanti homines, sanitatis conservatiõem, recuperationem, vulnerum sanitatem, protectionem ab hostibus præstolantur. Quamvis non negetur naturalia remedia posse illis opitulari, ratione virtutum & qualitatum, quæ in lapidibus, Herbis & alijs causis naturalibus continentur: sed caute attendendum est, an nullum signum inutile sit admixtum. Denique etiam observantia futurorum eventuum: dum si

quis levo pede è strato surgat, egredienti lepus occurrat, picam super Domum picitantem audiat, sibi augurium malum præfagit, hinc qui utitur verbo, signo, scripto, vel re aut qualibet actione, quantumvis sacra, effectum infallibiliter expectas, de quo non constat quod habeat sequelam ex rerum natura, vel certa ordinatione Divina, aut publica & constanti institutione vel Approbatione Ecclesiæ, peccat mortaliter peccato superstitionis.

9. Magia est ratio quædam operandi mira ope Dæmonis, vel pacto tacito vel explicito cum eo inito. Dicitur (*ope Dæmonis*) ad excludendam Magiam naturalem vel artificialem, qua occultis naturæ proprietatibus vel artis industria mira fiunt.

10. Maleficium est: ratio quædam agendi, proveniens ex pacto tacito vel expresso cum Dæmone inito: quo positis certis signis, alicui potestate Dæmonis nocumentum infertur. Porro Maleficium duplex est. Nimirum: Veneficium, quod est signum quo mediante Dæmon hominibus vel in eorum rebus, vel in eorum

perfo-

personis nocet: quia ut plurimum Dæmon hominem aliquo veneno inficit; quamvis etiam alijs modis noceat, ut cum inducit, sterilitates, tempestates, pruinas, grandines, quibus terræ nascentia vel consumuntur vel impediuntur. Alterum est maleficium amatorium: quo dæmon mutationem in affectibus causat, utpote ad excessivos affectus carnales, vel etiam ad capitalia odia inducenda, Filtris, poculis amatorijs, figuris, characteribus.

II. Multa vero peccata, Maleficos, magos, vel cum Dæmonibus paciscentes sequuntur. 1. Cultus Dæmonum. 2. Pactum & societas cum dæmone. 3. Blasphemix, quibus communiter pacta confirmantur. 4. Abjuratio Dei & sanctorum execratio. 5. Sacrilegia & abusus rerum sacrarum. 6. Insidiatio in partum fæminarum, ut infantes absq; Baptismo decedant, quorum officulis, ad varia veneficia utuntur. 7. Traditio sui in Dæmonis potestatem. 8. Omne nocumentum possibile proximorum in vita, prolibus, bonis. 9. Nefarij concubitus contra naturam cum Dæmone. 10. Hæresis & infidelitas.

Arri-

Articulus Nonus.

De Obligatione ad sacrificium Missæ.

1. **M**issa est verum & unicum novæ legis sacrificium, in quo à Sacerdote legitime ordinato, corpus & sanguis Domini nostri Jesu Christi; sub speciebus panis & vini ex ejus institutione, pro salute vivorum & defunctorum, Deo offertur, immolatur, & sumitur, ita Concil. Trident. sess. 22. & superfluum est ejus verba huc at-
texere, cum clare ibidem exprimantur, sed inquirendum, quando & quomodo populus ad hunc actum Religionis obligetur.

2. Omnes fideles Adulti cujuscunque conditionis sint, in Dominica, salvo legitimo impedimento, tenentur sub peccato mortali missam audire. Ita Concil. Agath. c. 37. *Missas die Dominico secularibus totas audire speciali ordine precipimus, ita ut ante Benedictionem sacerdotis egredi populus non presumat: quod si fecerint ab Episcopo publice confundantur.* Estque hoc mandatum receptum usu universalis Ecclesiæ absque aliqua contradictione.

3. Tria

3. Tria vero requiruntur ut quis satisfaciat præcepto audiendi missam in Dominica. Nimirum: assistentia moralis & Religiosa: attentio: & integritas. Assistentia moralis dicitur: qua humano & morali actu censetur aliquis præsens esse sacrificio missæ, ad quam requiritur præsentia corporalis, quod missam audiens sit intra Ecclesiam, vel in proximo loco, ex quo iudicatur posse videre, audire, vel aliquo sensu advertere, quæ Sacerdos agit, nisi infirmitate potentiæ impediatur, assistentia autem Religiosa plus dicit: Nimirum ut quis per modum Orantis, seu ad Deum colendum ibi assistat, non autem tantum materialiter, propter honestum tantum consortium, curiositatem, pompam externam, aut civile aut politicum aliquod Ministerium; tales enim præcepto audiendi missam in Dominica vel festo non satisfaciunt.

4. Requiritur etiam attentio, sub qua & intentionem comprehendo, ut nimirum qui missam audit, intentionem saltem virtualem habeat illam audiendi, seu Deum
per

per assistentiam illam colendi ; non requiritur tamen necessario, intentio satisfaciendi præcepto, modo quis positive contrariam voluntatem vel intentionem non habeat : Porro attentio in Missæ auditione requisita, triplex est: 1. Ad res sacras : 2. Ad mysteria quæ reb⁹ illis significantur. 3. Generaliter ad Deum colendum & orandum, & prima quidem bona est, secunda melior, tertia communior & magis humanæ dispositioni accommodata.

5. Requiritur ad satisfaciendum præcepto huic, integritas ut quis integram missam audiat.

6. Satisfacit autem præcepto, qui horas obligatorias aliasve preces ex obligatione legit tempore Missæ, quia duæ hæ intentiones & attentiones, sibi nullo modo opponuntur. Cum enim sufficiat utrimq; attentio ad Deum & ad Divina, in unam attentionem ex natura actionis utrimq; Religiose coalescunt. Deinde: licet tempore Missæ examinare conscientiam, & per hoc præcepto satisfit, modo feratur in Deum & Dei cultum. Qui autem magna parte
missæ

missæ occupatur in enarrando peccata sua in Confessione, ut commode ad sacrificiũ attendere nequeat, non satisfacit præcepto audiendi missam, quia attentio necessaria & actus ipse missam audiendi, tam disparatam actionem moraliter non compatitur. Possent tamen persona quæ commoditatem vix haberet alias confitendi, sub missa obligatoria confiteri, non quia per hoc satisfacit præcepto, sed quia ratione congruæ necessitatis confessionis, excusatur ab audienda missa, propter opus majoris necessitatis & utilitatis.

7. Porro ab auditione Missæ homines excusantur 1. Impotentia. 2. Titulo charitatis. 3. Officij. 4. Consuetudinis. Impotentia quæ excusat est triplex: Corporalis, Spiritualis, Moralis, per corporalem excusantur, qui gravi morbo decumbunt, carceribus, detinentur, mare navigant, vel qui habitant in locis ubi Sacerdotes non sunt, vel qui ex præcepto domi manere coguntur. Per impotentiam spirituales excusantur: qui sunt Excommunicati vel interdicto subjacent. Si per illos non stet quo minus
ab

ab illis censuris liberentur. Per impotentiam moralem excusantur : Qui non possunt absque gravi jactura alicujus boni corporalis vel spiritualis, item qui non possunt ob periculum vitæ, quia hostis insidiæ in via timentur, vel quia pestis in communi populo grassatur, item ob periculum sanitatis: si timeatur recidiva aut convalescentia tardior, unde etiam mulieres gravidæ partui vicinæ, si timeatur fætui incommodum grave, excusantur. Item ob periculum diminutionis honoris, quando personæ nobiles non possunt in habitu, suo statui convenienti comparere, item: qui domi remanent ad advertendos fures, & alia inconvenientia præcavenda.

Titulo Charitatis excusantur, qui debent servire infirmis graviter laborantibus, similiter qui ad extinguendum incendium, vel ad damna proximi avertenda, aut circa aliqua opera misericordiæ occupantur. Item fæmina, quæ ut alienum peccatum vitet, aut viri zelo typiam, domi se continet: præferendum est enim præceptum juris naturalis Charitatis, præcepto positivo Ecclesiæ.

Titu-

Titulo Officij excusantur: Milites tempore missæ in Excubijs stationes suas habentes, Pastores publici animalium, Cursores, matres & nutrices parvulorum à quibus nequeunt separari, item famuli à Dominis tempore Missæ occupati, item laborantes in officinis fusorijs.

Titulo Consuetudinis excusantur: in aliquibus locis mulieres nobiles, quæ ad aliquot Hebdomadas tempore luctus domi manere solent, item: Mulieres tempore purificationis.

8. Quamvis nullas preces, orationes, ritus, Ecclesia ordinaverit pro ijs qui excusantur à missa, remanet tamen penes illos obligatio realis & communis Deum aliquo cultu religioso, in Dominica vel festo Colendi. Sicut docuit Scotus in 3. Dist. 9. q. unica dum dixit observationem hujus præcepti non consistere in sola negatione operum servilium, sed in actu positivo in sanctificando, id est magnificando Deum, & Concil. Rothomag. c. 5. (ubi sic) *admonere debent Sacerdotes. Plebes sibi subditas, ut Bubulcos atq; porcarios vel alios pastores,*
qui

qui in agris assidue commorantur, & ideo more pecudum vivunt, in Dominicis & aliis festis diebus saltem ad missam faciant vel permittant venire, nam & hos Christus pretioso suo sanguine redemit: quod si neglexerint, pro animabus eorum rationem seredituros sciant. Quod notent Domini & Heri quorum interest providere, ne absque vera necessitate famuli à Missa absint.

Articulus Decimus.

De Obligatione observationum sacramentorum & jenuj.

I. **T**Riplex Ritus in sacramentorum Ministerio reperitur; alij sunt essentialia, qui ad essentiam Sacramenti spectant, ut sunt: Materiam, formam, intentionem, institutionem, singularem Ministerii concernentes, & talem ritum in Sacramentis omittere, est sacrilegium & peccatum mortale. Alij Ritus dicuntur actionem Ministerij integrare, & sunt ab Ecclesia ad actionis solemnitatem instituti, & talem aliquem notabilem ritum, extra casum necessitatis vel magnæ congruitatis omittere.

omittere peccatum mortale est: alij dicuntur ritus mere accidentales, quia nec ad essentiam, nec ad actionem per se pertinent, & talem ritum vel cæremoniam omittere ad summum peccatum veniale est, & hæc de ritibus sufficiant, quia vero ad observationes sacras reducitur jejunium Ecclesiæ, de illo hic breviter tractabimus.

2. Jejunium ut in Ecclesia Romana modo indicitur est Religiosa observantia, abstinentiæ à cibo & qualitate certa ciborum, designato tempore, ad Deum colendum, & ad mortificationem carnis propter Deum ab Ecclesia ordinata. dicitur (*observantia Religiosa*) Primo ut distinguatur contra jejunium nature, quo is qui non habet quod comedat, abstinet, vel quo ex aliqua causa naturali cibum aut potum refugit; Secundo: ut judicetur verum genus jejuniij Ecclesiastici, quod ad observantias sacras pertinet, & à virtute Religionis ordinatur in cultum Dei, & per hoc distinguitur ab actu virtutis temperantiæ. dicitur (*abstinentia à cibo*) hoc enim jejunio Ecclesiæ essentiale est, ita ut qui à cibo non abstinet,

abstinet,

abstinet, etsi à vitijs & alijs abstinens, spiritualiter jejunare dicatur, proprie dictum tamen jejunium non servat.

3. Non dixi (*à potu*) quia potus abstinentia simpliciter ab Ecclesia non est indicta, cōtra tamen illos qui potu se nutriunt, aut in potu lasciviunt diebus jejuniorum, hoc dicitur: Si non frangunt (ut vulgo dicitur) jejunium, illud submergunt: dicitur (*de qualitate certa ciborum*) Ecclesie enim mandato carnes prohibentur. dicitur (*designato tempore*) triplex autem tempus designatur: Nimirum dies in quo jejunare oportet. Hora in qua sumenda est refectio. Tempus quo jejunium incipit & finitur. Per hoc intelligitur, quod à media nocte diem jejuniij præcedentem jejunare incipias, & ad mediam noctem diem illum sequentem producas. Ex dictis sequitur. Quod comedere carnes in diebus jejuniorum & in quadragesima absque dispensatione, vel causa excusante, peccatum mortale sit.

4. Licet ex indulgentia matris Ecclesie aliquid cibi vesperi in diebus jejuniorum
sumere,

sumere, non tantum ut dicunt, ne potus nocent, sed etiam ad naturæ conservationem: & non est in collatiuncula vespertina de qualitate cibi altercandum, perinde enim est quo cibo illa fiat, modo non excedatur, & cibus abstinentiæ jejuniij sit accommodus. In ratione vero quantitatis cibi, quilibet sit ingenuus Arbiter & sincerus iudex sui actus, ad pondus sanctuarij, hoc est timoris Dei, & candidæ non scrupulosæ conscientiæ, & ut Regulam dem certiorrem, cum Ecclesia indulgeat collatiunculam, sume tantum quantum sentis tibi commode necessarium, ut jejunans tuis functionibus Ordinarijs satisfacias absq; gravi incommodo: ut privationis somni, operis & exercitij cui vacare soles.

5. Causæ à jejunio excusantes ad quatuor capita reduci possunt, quæ sunt ætas, infirmitas, paupertas, labor: per ætatem excusantur in duabus extremis hominis ætatibus constituti, nimirum: qui in pueritia simul cum adolescentiæ parte, usque ad annum 21. degunt; quia illud est tempus accretionis corporis humani. Deinde

L

qui

qui in senectute vivunt, quæ reputatur à sexagesimo anno usque ad finem vitæ: quia senectus se ipsa morbus, & natura deficiens corroboranda est. Ob infirmitatem excusantur: Prægnantes & nutriendes, quæ communiter censentur, sine detrimento sanitatis vel prolis non posse jejunare, judicium vero morbi, infirmitatis, debilitatis judicio medicorum & prudentis Confessarij relinquitur. Attendenda est etiam, non tantum infirmitas præsens sed etiam imminens. Paupertate excusantur, qui non habent victus sufficientiam sed mendicare, & pro ut occurrat sumere debent, & vix unquam plenam refectionem sumunt. Laboris causa excusantur, generaliter omnes operibus sive corporalibus sive spiritualibus vacantes, quorum operum labor talis est, ut opus fieri aut labor tolerari non possit, si quis jejunet.

TRA